MASTER NEGATIVE
NO. 93-81332-8

AUTHOR:

SCHENK, ARNO

TITLE:

DE ISIDORI HISPALENSIS DE NATURA RERUM...

PLACE:

IENAE

DATE:

1909

Master Negative #

93-81332-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schenk, Arno, 1883-
De Isidori Hispalensis De natvra rervm libelli fontibvs, dissertatio ... qvam scripsit ... Arno Schenk ... Ienae, Typis G. Nevenhahni, 1909.
72 p. 22½ cm.

Thesis. Jena.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-28-93   INITIALS: M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ISIDORI HISPALENSIS DE NATVRA RERVM LIBELLI FONTIBVS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

ARNO SCHENK

OBERGRUNSTEDIENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMIX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 31. Oktober 1908.

Geh. Hofrat Professor Dr. Hirzel,
d. Zt. Dekan.

§ I. Praefatio.

Paucis annis post saeculi peracti medium eodem fere tempore a duobus viris doctis C. Suetonii Tranquilli fragmenta collecta et edita sunt. Nam anno MDCCCLVIII C. L. Rothius publici iuris fecit librum quem inscripsit: 'C. Suetonii Tranquilli quae supersunt omnia' et anno MDCCCLX A. Reifferscheidius publicavit opus 'C. Suetoni Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiae' inscriptum. Horum librorum ratio et indoles prorsus diversa est. Nam cum Rothius fere ea tantum fragmenta in contextum receperit, quae Suetonii nomen aperte prae se ferunt, Reifferscheidius reliquiis dispersis undecumque colligendis intentus omnia quae exstant quatenus omnino fieri potuit illi restituit. Imprimis pratorum quae dicuntur libris restituendis operam navans multos etiam Isidori Hispalensis episcopi libelli 'de natura rerum' locos veteris doctrinae plenos, etiam tales qui ad certum auctorem non referantur, Suetonio tribuit. Qua autem re commotus esset, hoc ut faceret, in altero capite 'Quaestionum Suetonianarum' [1]) fragmentis additarum diserte exposuit. Quam ibi secutus sit rationem, nunc aperiam.

Nititur enim quattuor illius Isidori opusculi locis c. I § 4 (cf. fragm. 114*); c. XXXVII (cf. fragm. 151*); c. XXXVIII (cf. fragm. 152*); c. XLIV (cf. fragm. 157*): quorum duobus (cf. fragm. 152* et 157*) Tranquillus ipse eiusque opus (scil. Prata) afferuntur, e quo Isidoriana illa verba fluxerunt. Tertio loco (cf. fragm. 151*) auctoris eiusdem tantum nomen affertur, sed illam memoriam ex eodem opere sumptam esse omnes adhuc docti persuasum habuere. Tribus autem his locis agitur de ventis, de signis tempestatum, de maris nominibus. Quae cum ita sint, Reifferscheidius suspicatur Suetonium omnino de physicis

1) Cf. Reiffersch. l. c. p. 426 sqq.

observationibus in aliqua pratorum parte tractasse, quam Isidorus, cui ter occurrerimus Tranquillum excerpenti, in sui libelli parte, ubi de eisdem quaestionibus agitur, id est a nono capite usque ad libri finem, sine ulla dubitatione multo saepius adierit[1]).

Similia Reifferscheidius ex Isidori quarto loco, quem attulimus conclusit. Ibi c. I 4 legimus: *Fasti dies sunt quibus ius fatur — id est dicitur — ut nefasti quibus non dicitur.* Haec verba e Suetonio sumpta esse Priscianus testis est, qui haec prodidit[2]): *Suetonius in VIII Pratorum*[3]): *Fasti dies sunt, quibus ius fatur, id est dicitur, ut nefasti, quibus non dicitur.* Qua e Prisciani memoria sequi censet Reifferscheidius, in VIII Suetonii pratorum libro actum esse de temporibus Romanorum, et cum casu miro Isidorum deprehenderimus ab illo libro pendentem, veri esse simillimum omnes eos locos a primo capite usque ad octavum illius libelli, quibus et ipse de temporibus disserit, veteris doctrinae plenos, quorum auctor vel auctores sint ignoti, ex eodem fonte sumptos esse. Quibus in rebus statuendis Reifferscheidius Gustavum Beckerum secutus est, nisi quod me iudice longius quam ille de recta via decessit. Beckerus enim, qui in prolegomenis Isidori Hispalensis 'de natura rerum' libri editioni (Berol. 1857) praepositis de huius libelli fontibus egit[4]), Suetonium saepius ab episcopo illo arcessitum esse dudum arbitratus est; sed cum multo cautior esset quam Reifferscheidius, ea tantum Hispalensis episcopi capita, quorum origo Suetoniana aliquo peculiari modo comprobari posse videbatur, illi Romanorum scriptori tribuit, dico c. I, c. II, c. IV, c. VI, c. XXXVII, c. XXXVIII, c. XLIV[5]); cetera e libris mediae aetatis fluxisse suspicatus est.

Reifferscheidii illud opus, cum in lucem ederetur, summa laude elatum est a viris doctis, qui cum auctore consenserunt, re vera imprimis Isidori libelli 'de natura rerum' capitibus non parvam partem Suetonii pratorum servatam esse. Neque aliter etiam nostra aetate, quatenus equidem cognoscere potui,

1) Cf. Reiffersch. l. c. p. 440.
2) Prisc. VIII 20 (II p. 387 K.).
3) Rectissime iam Baehrius Hist. litt. Rom. II p. 160 codicum lectionem 'Praetorum' in 'Pratorum' vertit.
4) p. 6 sqq.
5) De hac re cf. etiam annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 633.

docti de illa opinione a Reifferscheidio prolata iudicant. Velut Georgius Wissowa[1]) pro explorato habens Isidorum esse Suetonii excerptorem ita disserit: *vide*, inquit, *imprimis quantum non dissonent a Censorino et Macrobio mensium Romanorum enarrationes quas e Suetonio refert Isidorus de nat. rer. IV* (= *fragm. Suet. 118* Reiff.*). Idem paucis paginis ante auctores suos Isidorum cum pulvisculo exscripsisse ostendit verbis hisce[2]): *an talis scriptor est Censorinus, qui auctorem suum cum pulvisculo, ut aiunt, exhausisse atque ad verbum omnia descripsisse putandus sit? Immo vir ille (quamvis non insignis doctrina, tamen minime comparandus Noniis Macrobiis Isidoris) cum nollet conscribere vastos de rebus multifariis commentarios . . . non adcurate depinxit maiora volumina.* Quibus e Wissowae duobus locis concludendum est, Isidorum Suetonium auctorem secutum esse ideoque nobis eius verba servasse. Etiam Teuffelius[3]) et A. Ebertus[4]) Isidorum Tranquilli prata saepissime adiisse censent. Praeterea Martinus Schanzius, qui, quamquam Reifferscheidii sententia de pratorum ratione et indole refutata prorsus novam proposuit[5]), tamen Isidorum haud pauca e Suetonio expressisse persuasum habet. Scribit enim[6]): *Für den dritten Teil des Pratum* — hanc partem 'de naturis rerum' inscriptam fuisse cum Reifferscheidio consentit — *ist Isidors Schrift 'de rerum natura' die Hauptquelle.* Deinde A. Hahnius[7]), qui de Censorini fontibus scripsit, ad suam opinionem explicandam et confirmandam nititur illa doctorum de Isidoro Suetonii excerptore sententia. *Etenim*, scribit, *si ille* (Censorinus) *cum hoc* (cum Isidoro) *consentit, nullo id alio modo explicari potest, nisi eum ex Suetonio hausisse, quo in ea parte libri 'de nat. rer.' quae est de Romanorum anno imprimis Isidorum nisum esse constat.* Hoc loco Hahnius imprimis ante oculos habuit Gruppii verba[8]), qui eodem modo

1) G. Wissowa: 'De Macrobii Saturnaliorum fontibus capita tria' Vratisl. 1880 p. 25.
2) G. Wissowa l. c. p. 20, 21.
3) Teuffel: Hist. litt. Rom. II⁵ 1890 p. 1294.
4) A. Ebert: Allgemeine Geschichte der Literatur des Mittelalters I² p. 596.
5) M. Schanz in Hermae vol. XXX p. 401 sqq.
6) M. Schanz ibid. p. 427.
7) A. Hahn: 'De Censorini fontibus' dissert. Ien. MCMV p. 30.
8) O. Gruppe in Hermae vol. X p. 59.

de Isidori libri origine Suetoniana iudicat. Denique quomodo Fridericus Bluhmius[1]) de hac quaestione cogitaverit, ex ipsius verbis eluceat. Scribit p. 105: *conspirant illi* (Lydus et Macrobius) *cum Censorino 22,9, qui Martium a Marte patre Romuli nominatum esse tradit et cum Isidoro, qui ex Suetonio refert in libro de nat. rer. IV, 2* e. q. sqq., et p. 109 haec exstant verba: *Suetonius quoque Isidori auctor,* denique p. 117 legimus: *ille autem auctor fuit Suetonius, cuius doctrinam Isidorus de rer. nat. I, 2 nobis praebet.*

Iam vides quantopere viri docti Reifferscheidii disputatione sint confisi, quam pro fundamento posuerunt ad aliorum scriptorum similia atque Isidorus referentium fontes exquirendos. Sed mihi, cum operam navarem in Suetonii et Isidori operibus legendis, nonnulla occurrerunt, ex quibus Reifferscheidius nimis audacter iudicasse visus est. Propterea denuo quam diligentissime potero Isidoriani illius opusculi fontes perscrutari et exquirere mihi proposui, ut appareat utrum huic disquisitioni non cedat Reifferscheidii opinio, an tota haec quaestio aliter atque antea expedienda videatur: quod certe cognoscere summi momenti esse iudico primum ad Suetonianas ipsas quaestiones iudicandas, deinde ad aliorum scriptorum similia atque Hispalensis praebentium auctores investigandos constituendosque.

Quae disputatio optime ita instituetur, ut primum disseramus de ratione, quae inter locos libelli 'de nat. rer.' et etymologiarum inter se respondentes intercedat, et Hispalensis viri consuetudine excerpendi et fontibus utendi satis cognita novam quasi viam nacti videamus, quae ipse Isidorus adiecerit, quae ecclesiasticis viris, quae doctis gentilibus debeat, sic fieri posse sperantes ut pauca quae supersunt utrum ad Suetonium referri possint necne cognoscamus.

Sed moneo, ne hac in re fugiamus ad Censorini, Macrobii, Lydi scripta, in quibus, ut iam diximus, Isidorianis verbis interdum similia exstant, primum quia viri docti illorum fontes investigantes et constituentes inter se valde dissentiunt, deinde

1) Fr. Bluhme: De Ioannis Laurentii Lydi libris ΠΕΡΙ ΜΗΝΩΝ observationum capita duo. Hal. Sax. 1906.

quia, quod multo gravius est, illi ab ipso Isidori libello eiusque origine Suetoniana in disputando proficiscuntur[1]). Itaque ne, ut ita dicam, in orbem nos vertamus, alia rei disquirendae ratio erit capessenda.

§ 2. Quae ratio inter Isidori libellum 'de natura rerum' et etymologias intercedat, explicatur.

Inter Isidori librum 'de natura rerum' et etymologias quandam exstare rationem neminem esse censeo qui neget, cum haud paucis locis in utroque scripto eisdem vel similibus verbis de eisdem rebus agatur. Quae tamen sit illa ratio et quomodo similitudo illa sit exorta, adhuc nemo doctorum satis accurate exploravit. Quamquam summi momenti esse iudico hanc quaestionem solvere, quod sic demum ad Isidori consuetudinem libros componendi et fontibus utendi ipsam deducimur. Ab hac autem ratione, qua usus scriptor opuscula confecerit, in eius fontibus inquirendis proficiscendum esse, cum alii intellexerunt, tum Fridericus Bluhmius in dissertatione nuper edita aptis verbis ostendit quae afferantur dignis. Scribit[2]) enim: *Quicumque in alicuius scriptoris maximeque eorum qui vocantur compilatores fontibus investigandis versaturus est, eum ab eius rationis examine, qua usus ille scriptor libros suos composuerit, quaestionis initium sumere necesse est; nam in hac ipsa re quia non omnes auctores inter se consentire, sed plerumque alterum ab alterius usu atque compilandi consuetudine discedere consentaneum est, hac disquisitione absoluta quaerendi via praemunita videtur.* Itaque ne a recta disquirendi via decedamus, rationem exquirere conemur, qua usus Isidorus librum 'de natura rerum' et etymologias composuerit. Ad hanc quaestionem solvendam utriusque scripti loci inter se respondentes diligenter erunt pertractandi. Fontis communionem primo obtutu imprimis sapiunt hi loci:

1) Etiam e Th. Littii dissertatione 'De Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris' Bonn 1904 et e H. Willemseni 'De Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis' Bonn 1906 nihil quod ad nostram quaestionem pertineret haurire potuimus.

2) Fr. Bluhme l. c. p. 4.

De natura rerum	Etymologiae
I 1 *dies . . . horarum* XII	V 30, 1. 2 *dies . horarum duodecim*
I 2 *partes abusive . . . suprema*	V 30, 13 *partes . . . suprema*
I 4 *fasti dies . . . non dicitur*	VI 18, 1 *quibus . . . dicitur*
I 4 *feriati dies . . . religionis sunt*	V 30, 12 *festi dies . . . sacrorum*
I 5 *dies epactarum . . . adiciantur*	VI 17, 29 *epactas . . . aequetur*
II 1 *nox a nocendo . . . noceat*	V 31, 1 *nox a nocendo . . . noceat*
II 2, 3 *noctis . . . silere est*	V 31, 4. 7. 8 *noctis . . . silere est*
III 1 *feria . . . quasi faria*	V 30, 12 *a fando . . . nuncupatae*
III 2, 3 *primum . . . suum*	V 30, 5—7 *primum . . . suum*
IV 3 *inde mensem . . . dixerunt*	V 33, 8. 9 *Maius . . . dicitur*
IV 4 *porro Ianuarium . . principium*	V 33, 3 *Ianuarius . . . anni*
IV 4 *iam September . . . vocabulum*	V 33, 11 *September . . . vocabula*
IV 6 *Kalendas . . . a nundinis*	V 33, 13 *quidam . . . vocatae*
VI 2 *annum . . . diminutive*	V 36, 1 *annus . . . redeat*
VI 4 *annus lunaris . . . monstratur*	VI 17, 21. 22 *communis . monstratur*
VI 4 *annus bissextus . . . colligitur*	VI 17, 25 *bissextus . . . adiectus*
VI 4 *annus iubilaeus . . . possessio*	V 37, 3 *iubilaeus . . . libertatis*
VI 7 *bissextus . . . adponitur*	VI 17, 27 *a sexto . . . detrahitur*
VII 4 *unde etiam . . . dicta*	V 35, 1 *dicta . . . temperent*
VIII 2 *solstitium . . . spatiis suis*	V 34, 1 *solstitium . . . consistunt*
IX 3 *formatio . . . septentrionalis*	III 30 *formatio . septentrionalis est*
XII 2 *caelum . . . caelatum vocatur*	III 31, 1 (XIII 4, 1) *caelum . stellarum*
XII 3 *axis . . . tendit*	III 36 (XIII 5, 3) *axis . plaustrum est*
XII 3 *cardines . . . partes sunt*	III 38 (XIII 5, 4) *cardines . coelum*
XII 4 *hunc autem . . . dixerunt*	III 31 *caelum . . . dixerunt*
XII 4 *sphaeram . . comprehendatur*	III 32 *hanc sphaeram . comprehenditur*
XII 6 *tanta . . . faciant*	III 35 *tanta . . . faceret*
XIII 1 *philosophi . . . arbitrantur*	III 32, 2 *philosophi . . . arbitrantur*
XV 2 *quidam . . . accipere*	III 49 *cuius ignem . . . accipere*
XVII 1, 2 *dicunt . . per se moveri*	III 50, 1 *solem . . cum mundo verti*
XVII 3 *cui ideo . . . derelinquit*	III 51, 2 *cui ideo . . . derelinquit*
XVIII 1 *alii . . . obscuram*	III 53 *lunam . . . efficere*
XVIII 7 *prima . . . sunt*	III 54, 1. 2 *prima . . . sunt*
XIX 1 *terris . . . posuerunt*	III 57 *luna terris . . . posuerunt*
XX 1 *solem . . . efficit*	III 58 *eclipsis . . . opponitur*
XXII 3 *radiis autem . . . moratur*	III 66, 3 *quaedam . . . moratur*
XXIII 3 *ista . . . quando stant*	III 67 *unde . . . stant*
XXIII 4 *anni . . . annis triginta*	III 66, 2 *nam luna . . . revertuntur*

De natura rerum	Etymologiae
XXIV 1 *stellas . . . dicunt*	III 61 *stellae . . . dicuntur*
XXIV 1 *hinc . . . sideribus*	III 71, 1 *sol . . . sideribus*
XXV 1 *falsa . . . caelo*	III 71, 3 *nam quod . . . cadentes*
XXVI 3 *arcturus . . . inclinat*	III 71, 6 *signorum . . . dixerunt*
XXVI 6 *has Latini . . . signis*	III 71, 13 *has Latini . . ostendunt*
XXVI 8 *hic autem . . . terribile*	III 71, 11 *hunc Latini . clarissimus*
XXVI 14 *Sirius . . . videatur*	III 71, 15 *Sirius . . . appellasse*
XXX 3 *fulgura . . . pervenit*	XIII 8, 2 *cum tonitruo . . pervenit*
XXXII 2 *nubes autem . . . velent*	XIII 7, 2 *nubes . . . velent*
XXXVI 1 *ventus . . . percitus aer*	XIII 11, 1 *ventus . . . agitatus*
XXXVII 1—5 *ventorum . . altanus*	XIII 11, 2—16 *ventorum . altanus*
XLIV 2 *fretum . . . Gaditanum*	XIII 18, 2 *fretum . . . habentia*
XLIV 2 *vada . . βραχέα*	XIII 18, 6 *vada . . . βραχεῖα*
XLIV 3 *sinus . . . Indicus*	XIII 17, 1 *sinus . . . adscribitur*
XLIV 5 *litus . . . alluitur*	XIV 8, 41 *litus . . . alluitur*
XLIV 5 *torrens . . torrens torret*	XIII 21, 2 *torrens . . ab aestate*
XLIV 5 *ostia . . . in mare*	XIV 8, 43 *ostia . . . in mari*
XLVI 1, 2 *inde . . . existit*	XIV 1, 3 *cuius . . . concutiunt.*

Allatis his exemplis tres de horum locorum ratione opiniones admitti posse unusquisque facile intelleget. Nam primum concludi potest etymologias a libello de natura rerum pendere; deinde Isidorum in libro de natura rerum componendo etymologias respexisse; denique alterum scriptum ex altero minime fluxisse, sed episcopum bis eosdem fontes in his operibus conscribendis adiisse et exhausisse. Iam si quis mihi opponat, fieri non potuisse, ut Isidorus in libro de natura rerum conscribendo rationem haberet etymologiarum, siquidem constat hunc librum iam ante annum sescentesimum vicesimum confectum et in lucem esse editum — nam Sisebuto regi, qui hoc anno mortuus est, dono erat datus —, cum illas episcopus Hispalensis sedecim annis post Sisebutum ipse morte ereptus ad finem nondum perductas reliquerit, tamen illa ratiocinatio per se neglegenda mihi non esse videtur; nam censeo minime veri dissimile esse episcopum, cum libellum de natura rerum componeret, iam versatum esse in etymologiis conscribendis, quarum in studiis magnam eum vitae partem contrivisse consentaneum est. Qua de re iam rectissime A. Ebertus[1]) scribit:

1) A. Ebert: Allgem. Geschichte der Literatur des Mittelalters I p. 589.

Das grösste und zugleich das einflussreichste seiner Werke, das ihn auch am längsten und bis zu seinem Tode beschäftigte, die Hauptschatzkammer seiner Kenntnisse, sind seine 20 Bücher Etymologien. Sed ne de via aberremus, nunc exempla supra commemorata perscrutemur et exquiramus, quae ratio inter utrumque Isidori scriptum intercedat. Ad hanc rem explicandam cognoscendamque non est cur omnes quos attuli locos examinemus. Nam primum ei neglegi possunt, quorum fontes ignoramus — nam ex his quomodo Isidorus auctoribus usus sit omnino nil discimus —; deinde abiciendi sunt ei loci, qui ex fontibus notis in utrumque scriptum ad verba recepti sunt; denique eae paragraphi, quae et in libro de natura rerum et in etymologiis aequaliter commutatae et mutilatae exstant, nil prosunt ad illam rationem statuendam.

Fontes autem nobis cogniti non sunt horum locorum:

De nat. rer.	Etymol.	De nat. rer.	Etymol.
I 1	V 30, 1. 2	XII 3	III 38 (XIII 5, 4)
I 4	V 30, 12	XII 4	III 31
I 5	VI 17, 29	XII 6	III 35
III 1	V 30, 12	XVIII 7	III 54, 1. 2
III 2, 3	V 30, 5—7	XXII 3	III 66, 3
IV 6	V 33, 13	XXIII 3	III 67
VI 4	VI 17, 21. 22	XXIII 4	III 66, 2
VI 4	VI 17, 25	XXIV 1	III 61
VI 7	VI 17, 27	XXIV 1	III 71, 1
VII 4	V 35, 1	XXVI 3	III 71, 6
VIII 2	V 34, 1	XXX 3	XIII 8, 2
IX 3	III 30	XXXVII 1—5	XIII 11, 2—16
XII 3	III 36 (XIII 5, 2)	XLIV 3	XIII 17, 1

Ad verba autem e fontibus descriptos vel eodem modo commutatos inveni hos locos:

De nat. rer.	Etymol.	De nat. rer.	Etymol.
I 2	V 30, 13	XIII 1	III 32, 2
II 1	V 31, 1	XVII 3	III 51, 2
II 2, 3	V 31, 4. 7. 8	XLIV 2	XIII 18, 6
IV 4	V 33, 11	XLIV 5	XIV 8, 41
VI 4	V 37, 3	XLIV 5	XIV 8, 43
XII 4	III 32		

Omnibus his enumeratis eos qui supersunt quam fieri potest diligentissime pertractemus. Atque primum quidem liceat in examen vocare haec utriusque Isidori scripti verba sibi respondentia:

Isid. de nat. rer. VI 2	Isid. Etymol. V 36, 1
Annum autem quasi anum dici quidam putant, id est circulum, unde et anuli dicti sunt diminutive.	*Annus autem dictus quia mensibus in se recurrentibus volvitur. Unde et annulus, quasi annuus, id est, circulus, quod in se redeat.*

Spectant autem haec utriusque scripti verba ad Servianum[1]) quendam locum; nam illic legimus (Serv. ad Verg. Aen. I 269): *annus autem dictus quasi anus, id est anulus quod in se redeat.* Si hos locos inter se comparamus, apparet Isidorum in illo etymologiarum loco exscribendo[2]) fontem paene ad verbum excerpsisse, contra in libro de natura rerum minore diligentia usum esse. Eodem modo atque hic res sese habet in eis locis, quos perspicuitatis causa componam, ut cum fontibus perfacile comparari possint.

De nat. rer. XV 2	Etymol. III 49	Schol. Germanici[3]) p. 194, 4 sqq.[4])
Quidam autem dicunt solis ignem aqua nutriri et e contrario elimento virtutem lu-	*Cuius ignem dicunt philosophi aqua nutriri et e contrario elemento virtutem luminis et ca-*	*Cuius ignem dicunt philosophi aqua nutriri et e contrario elemento virtutem lu-*

1) Utrum Isidorus re vera e Servio ipso hauserit an uterque scriptor e fonte communi excerpserit — de qua quaestione postea accurate tractabo —, ad hanc rem explicandam nullius momenti est, quia verba Isidoro et Servio communia eodem modo in fonte principali exstitisse necesse est. Etiamsi igitur nonnullis doctis concederemus Isidorum non ipsum Servium expressisse, tamen non esset dubium, quin hic in etymologiis componendis episcopus Hispalensis magis anxius se ad fontem adplicaverit quam in libro de nat. rerum.

2) In etymologiis Isidorus cum hoc Servii loco alterum coniungit (Serv. ad Aen. V 46) ubi est: *quia menses in se recurrunt et annum faciunt: unde et anulus quasi anuus dictus.*

3) De scholiasta Germanici qui dicitur Isidori fonte uberrimo postea accurate tractabo.

4) His in locis enumerandis semper usus sum Alfredi Breysigii editione Berol. 1867.

De nat. rer.	Etymol.	Schol. Germanici
minis et vaporis accipere.	*loris accipere. Unde videmus eum saepius madidum atque rorantem.*	*minis et caloris accipere, unde videmus eum saepius madidum atque rorantem.*
XVIII 1 *Alii namque dicunt proprium eam* (scil. lunam) *habere lumen, globique eius unam partem esse lucifluam, alteram obscuram.*	III 53 *Lunam quidam philosophi dicunt proprium lumen habere, globique eius unam partem esse lucifluam, aliam vero obscuram, et paulatim se vertendo diversas formas efficere.*	p. 197, 9 sqq. *Hanc enim quidam philosophorum dicunt proprium lumen habere globique eius unam partem esse lucifluam, aliam vero obscuram et paulatim se vertendo diversas formas efficere.*
XIX 1 *Terris autem vicina luna breviori orbe convertitur et iter quod sol in diebus CCCLXV peragit, ista per triginta dies percurrit.*	III 57 *Luna terris vicinior est quam sol. Inde et breviori orbe celerius peragit cursum suum. Nam iter quod sol in diebus CCCLXV peragit, ista per triginta dies percurrit.*	p. 197, 1 sqq. *Luna terris vicinior quam sol sive cetera errantia sidera, unde et breviori orbe celerius peragit cursum suum. Nam id*[1]) *quod sol in trecentis sexaginta quinque diebus et sex horis peragit, luna in viginti septem diebus et octo horis percurrit.*
XXV 1 *Falsa autem opinio et vulgaris est nocte stellas cadere, cum sciamus ex aere lapsos igniculos ire per caelum portarique*	III 71, 3 *Nam quod videmus de caelo stellas quasi labi, non sunt stellae, sed igniculi ab aethere lapsi, qui fiunt dum ventus altiora petens*	Servius ad Verg. Georg. I 366 *Sequitur vulgi opinionem . . . Quod autem videmus e caelo stellas quasi labi, ἀπόῤῥοιαι sunt ignis aetherii quae*

1) Complurium codicum auctoritate nisus hic lectionem *iter* formae *id* anteponam.

De nat. rer.	Etymol.	Serv. ad Verg. Georg.
ventis vagique lumen sideris imitari, stellas autem inmobiles fixasque manere in caelo.	*aethereum ignem secum trahit, qui tractu suo imitatur stellas cadentes.*	*fiunt cum vehementior ventus altiora conscenderit et trahere exinde aliquas particulas coeperit, quae simulant casum stellarum.*
XXVI 8 *Hic autem Orion a gladio dictus est, unde etiam eum Latini iugulam vocant sidus ut videtur armatum et stellarum luce terribile.*	III 71, 11 *Hunc Latini iugulam vocant, quod sit armatus, ut gladio, et stellarum luce terribilis atque clarissimus; in quo si effulgent omnia, serenitas portenditur; si obscuratur hic acies, tempestas cernitur imminere.*	Schol. Germ. p. 163, 11 sqq. *Hunc Latini iugulam vocant, quod sit armatus ut gladius et stellarum luce terribilis atque clarissimus. Qui si fulget serenitatem portendit, si obscuratur tempestatem innuit imminere.*
XXVI 14 *Sirius stella est, quam vulgo canem appellant. Sirius quippe appellata propter flammae candorem, quod eiusmodi sit ut prae ceteris lucere videatur.*	III 71, 15 *Sirius (vocatur) propter flammae candorem, quod eiusmodi sit, ut prae ceteris lucere videatur. Itaque quo magis eam cognoscerent, Sirion appellasse.*	Hygin.[1]) astron. p. 74 *Canis habet in lingua stellam unam . . in capite autem alteram, quam Isis suo nomine statuisse existimatur et Sirion appellasse propter flammae candorem, quod eiusmodi sit, ut praeter caeteras*[2]) *lucere videatur. itaque quo magis eam cognoscerent, Sirion appellasse.*

1) Hygini 'astronomiae' editionem inspexi a Bernardo Buntio Lipsiae 1875 curatam.

2) Buntius pro *praeter caeteras* lectione codicibus rmata *prae ceteris* scribit Isidorum secutus.

Iam sufficiat haec exempla attulisse e quibus omnibus elucet Isidorum in etymologiis conscribendis multo magis fontium auctoritati se addixisse quam in libro de natura rerum conficiendo. Qua e re sequitur his locis episcopum Hispalensem, cum etymologias componeret, rationem minime habuisse libelli de natura rerum, sed fontes ipsos inspexisse.

Idem ex his locis concludendum est quos simpliciter afferre liceat: de n. rer. XX 1 = etymol. III 58 = schol. Germ. p. 194, 7 sqq.; de n. rer. XLIV 2 = etymol. XIII 18, 2 ubi Varro auctor citatur (cf. Varr. L. l. VII 22 ed. Spengel); d. n. rer. XLIV 5 = etymol. XIII 21, 2 = Serv. ad Aen. II 305; d. n. rer. XLVI 1, 2 = etymol. XIV 1, 3 = Serv. ad Georg. II 479. Iam vero quaerendum est utrum opusculum de natura rerum ab etymologiis pendeat, cum, quominus hoc nobis fingamus, adhuc nihil obstet. Atque primum quidem examinemus hos locos de nat. rer. I 4 et etymol. VI 18, 1 sumptos. Legimus:

De nat. rer. I 4	Etymol VI 18, 1
Fasti dies sunt quibus ius fatur — id est dicitur — ut nefasti quibus non dicitur.	*Quibus contrarii sunt fasti in quibus ius fatur, id est dicitur.*

Velim memineris, nos iam supra ostendisse Priscianum e Suetonio eadem verba quae in libello de natura rerum leguntur proferre. Itaque consentaneum est hoc in libro Hispalensem episcopum magis fontis auctoritatem respexisse quam in etymologiis. Idem elucet ex his exemplis quae nunc componam.

Etymol.	De nat. rer.	Hieronymus: Comm. in Zach. II 8 (M. vol. XXV col. 1476)
V 33, 3	IV 4	
Ianuarius . . . quia limen et ianua sit anni.	*Ianuarius . . . eo quod ianua sit anni adque principium.*	*Ianuarius . . . eo quod ianua anni sit atque principium.*
III 31, 1 (cf. etiam XIII 4, 1)	XII 2	Ambros. Exameron[1]) II 4, 15
Caelum philosophi rotundum, volubile atque ardens esse dixerunt, vocatumque hoc nomine, eo quod tanquam vas caelatum impressa habeat signa stellarum.	*Caelum Graeco vocabulo οὐρανὸς dicitur, apud Latinos autem propterea caelum appellatur, quia impressa stellarum lumina veluti signa habens tamquam caelatum dicitur, sicut argentum quod signis eminentibus refulget caelatum vocatur.*	*Nam caelum, quod οὐρανὸς graece dicitur, latine, quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tamquam caelatum appellatur, sicut argentum, quod signis eminentibus refulget caelatum dicimus.*
		Hygin. astron. IV 13 p. 112
III 50, 1	XVII 1, 2	
Solem per se ipsum moveri, non cum mundo verti dicunt. Nam si fixus caelo maneret, omnes dies et noctes aequales existerent. Sed quoniam alio loco cras occasurum alio occidisse hesterno videmus, apparet eum per se ipsum moveri, non cum mundo verti.	*Dicunt antiqui Arabus et Hyginus*[1]) *solem per se ipsum moveri, non cum mundo verti uno loco manentem. Nam si fixus maneret necesse erat eodem loco occidere et exoriri a quo pridie fuerat exortus, quemadmodum cetera siderum signa oriuntur et occidunt; praeterea si ita esset, consequens erat dies et noctes omnes aequales esse et quam spatiosus hodiernus dies esset, tam longus semper esset futurus* e. q. sqq.	*Necesse est enim solem aut ipsum per se moveri, aut cum mundo verti uno loco manentem. Quod si maneret necesse erat eodem loco occidere et exoriri a quo pridie fuerat exortus, quemadmodum signa eodem loco semper oriuntur et occidunt. Praeterea si ita esset, necesse erat dies et noctes omnes aequales esse, ut quam longus hodiernus dies fuerit, tam longus semper sit futurus* e. q. sqq.

1) Ambrosii editione usus sum a Carolo Schenkelio in corpore

scriptor. ecclesiast. latinor. 32[1] parata. Hic quoque vir doctus non 'Hexaëmeron', sed 'Exameron' legendum esse statuit l. c. p. XII (praef.) nisus codicum auctoritate.

1) Librum de nat. rer. pleniorem contextum praebere etymologiis iam ex eo cognoscitur, quod hoc loco fons (Hyginus) nominatim affertur.

Etymol. III 71, 13	De nat. rer. XXVI 6	Hygin. astron. II 21 p. 64
Has Latini 'Vergilias' dicunt a temporis significatione, quod est ver, quando exoriuntur. Nam occasu suo hiemem ortu aestatem . . ostendunt.	*Has Latini vergilias appellaverunt, eo quod post ver exoriuntur, et eo magis a ceteris praedicantur, quod his exorientibus aestas significatur et occidentibus hiemps ostenditur, quod aliis penitus non est traditum signis.*	*Eas stellas nostri Vergilias appellaverunt, quod post ver exoriuntur et hae quidem ampliorem ceteris habent honorem, quod earum signo exoriente aestas significatur, occidente autem hiemps ostenditur, quod aliis non est traditum signis.*

Quibus exemplis praeterea hi loci sunt addendi, ut in quibus res eodem modo atque hic sese habeat: Etymol. XIII 7, 2 = de nat. rer. XXXII 2 = Serv. ad Verg. Aen. XI 77 et etymol. XIII 11, 1 = de nat. rer. XXXVI 1 = August. 'de quant. animae' c. 4 (cf. Migne patrol. lat. vol. XXXII col. 1039) *nihil aliud . . . sortitus.*

Quibus absolutis iam ut omnia quae invenimus una comprehensione complectamur, intelleximus ex eis utriusque scripti locis sibi respondentibus, e quibus omnino aliquid concludere potuimus, Isidorum in etymologiis componendis undecies et in libro de natura rerum conficiendo septies fontes ipsos inspexisse. Quae cum ita sint, concludere audeo, etiam ceteris locis, e quibus nihil certi intellegere possumus rem eodem modo sese habere. Idcirco optimo iure mea quidem sententia dici potest, Isidorum et in etymologiis conscribendis et in libro de nat. rerum componendo ipsis fontibus collatis usum esse neque alterum scriptum pendere ab altero[1]).

Qua in re statuenda nos recte iudicavisse praeterea exemplo satis perspicuo illustrabo. Legimus:

De nat. rer. IV 3	Etymol. V 33, 8, 9	Serv. ad Verg. Georg. I 43
Inde mensem Maium pro Maia Mercurii	*Maius dictus a Maia, matre Mercurii, vel a*	*Maius a Maia, Iunius a Iunone, quamquam*

1) Praeterea e nostra disquisitione elucet Isidorum in etymologiis conficiendis saepius quam illic fontes accuratius et diligentius expressisse.

De nat. rer.	Etymol.	Serv. ad Verg. Georg.
matre sive propter maiores deinde Iunium a Iunone. . . . Alii autem sicut Maium pro maioribus, ita pro iunioribus Iunium vocari dixerunt.	*maioribus natu, qui erant principes reipublicae. Nam hunc mensem maioribus, sequentem vero minoribus Romani consecraverunt. Unde et Iunius dicitur. Ante enim populus in centurias seniorum et iuniorum divisus erat.*	*alii a maioribus et iunioribus hos duos menses velint esse nominatos. . . . nam antea populus Romanus in centurias iuniorum et seniorum divisus erat.*

Utrumque Isidori locum ad illum Servianum spectare neminem esse censeo qui neget. Sed quam dispariter episcopus excerpsit! Nam libri de natura rerum verba *alii autem . . . dixerunt* multo magis cum Servianis *alii a maioribus . . . nominatos* concinunt quam etymologiarum; contra extrema *ante enim populus in centurias seniorum . . . divisus erat* Servio et etymologiis communia in libro de natura rerum plane desunt, quod aliter explicari non potest nisi utrumque Isidori locum e Servio seorsum fluxisse.

Iam ad finem perducta esset haec quaestio, nisi difficultas quaedam obstare videretur. Exstant enim in libro de nat. rer. XIII haec verba: *Ambrosius sanctus in libro Hexaemeron sic loquitur dicens . . . . . Philosophi autem mundi septem caelos — id est planetas — globorum consono motu introduxerunt, quorum orbibus conexa memorant omnia, quos sibi innexos et velut insertos versari retro et contrario ceteris motu ferri arbitrantur.* Eadem sententia — dico verba a *philosophi autem* usque ad finem — nulla re mutata in etymologiis (III 32, 2) invenitur. Sed minime principalis fontis verba cum his Isidorianis consentiunt. Nam Ambrosius praebet (Exam. II 2, 6): . . . *quem imitantes philosophi quinque stellarum et solis et lunae globorum consonum motum introduxerunt, quorum orbibus vel potius globis conexa memorant omnia. quos sibi innexos et velut insertos versari retro et contrario ceteris motu ferri arbitrantur. . . .*

Similiter etiam horum Isidori locorum verba inter se consentientia a fontis contextu discrepant:

De nat. rer. II 3	Etymol. V 31, 9
Intempesta (scil. nox) *id est importuna, quando agi nihil potest et omnia quieta sunt.*	*Intempestum est medium et inactuosum noctis tempus, quando agi nihil potest et omnia sopore quieta sunt. Nam tempus per se non intellegitur, nisi per actus humanos; medium autem noctis actu caret.*

Communis fons est Servii locus (ad Aen. III 587) ubi legitur: *'Intempesta' dicta est nox media, inactuosa, carens actibus, per quos tempora dinoscimus: ait enim Lucretius (I 459), quia per se tempus non intellegitur, nisi per actus humanos: medium autem noctis tempus actu caret.* Omnes hos locos inspicientes nos non fugiet verba Isidoriana *quando agi nihil potest ... quieta sunt* non exstare in fonte ipso.

Iam tertium eius generis exemplum afferam. Legimus:

De nat. rer. XVII 1, 2	Etymol. III 50, 1
Dicunt antiqui Aratus et Hyginus solem per se ipsum moveri, non cum mundo verti uno loco manentem. Nam si fixus maneret necesse erat eodem loco e. q. sqq.	*Solem per se ipsum moveri, non cum mundo verti dicunt. Nam si fixus caelo maneret, omnes dies et noctes aequales existerent* e. q. sqq.

In fonte autem ab Isidoro ipso allato haec sunt: (Hygin. astron. IV 13 p. 112): *Necesse est enim solem aut ipsum per se moveri, aut cum mundo verti uno loco manentem. Quod si maneret, necesse erat* e. q. sqq. Vides vocabulum *fixus* exstare in utroque Isidori libro, deficere autem in fonte expresso.

Sane valde foret mirum, si episcopus et in etymologiis et in libro de natura rerum, postquam alterum scriptum ab altero minime pendere supra evicimus, illa verba, quae in fontibus aliter leguntur vel omnino desunt, fortuito eodem modo bis mutasset vel nonnulla eademque adiecisset. Est discrepantia. Hic re vera alterum scriptum ab altero pendere videtur. Sed videtur tantum. Perfacile enim est has diversas conclusiones inter se coniungere. Iam per se ipsum patet Isidorum minime in libris suis componendis denuo omnes auctores ipsos inspexisse, immo pro certo dici potest, eum excerpta, quae sibi in diversis libris legendis fecerat, adiisse et

composuisse. Fontis autem principalis verba excerptorem illum clarissimum non semper accurate exscripsisse iam ex eius ratione describendi elucet, de qua egregie iam egerunt Gustavus Beckerus[1]) et Henricus Dresselius[2]). Nam si res tulit, fontis contextum mutando depravavit, cum verba in brevius cogeret vel quaedam adiceret aut aliunde derivata aut proprio Marte composita. Idcirco non audacis hominis est suspicari, iam tum, cum sua excerpta faceret, Isidorum fontium contextum mutasse atque adiecisse illa verba, quae tum ex illis excerptis et in etymologias et in librum 'de natura rerum' transtulit. Talia excerpta exstitisse praeterea ex hoc exemplo concludendum est, quod, cum longum sit, omnia accuratius pertractare, simpliciter afferam liceat. Conferri iubeo hos locos: de nat. rer. XIX 1 et etymol. III 57 cum schol. Germ. p. 197, 1 sqq.

Quibus omnibus pertractatis et absolutis ea quae invenimus illustrabuntur hac tabula:

Fons principalis

Excerptum Isidorianum

De nat. rer. Etymol.

Hanc rationem utriusque Isidori scripti exquisivisse et constituisse summi momenti esse iudico ad fontes libelli de natura rerum investigandos et ad totam quaestionem huius libri originis Suetonianae melius diiudicandam. Atque certe cum sciamus, alterum Isidori librum ab altero non pendere, satis elucet, semper in libelli de natura rerum fontibus indagandis etymologias esse respiciendas. Nam illius libri verba quae saepe aucta sunt vel in brevius coacta, omnino commutata atque ita quidem, ut, unde sint petita, non iam cognosci possit, etymologiarum locis adiuvantibus, si hic communis excerpti contextus integrior quam illic servatus est, auctoribus reddi possunt. Quod ut melius intellegatur,

1) G. Becker in Isidori de nat. rer. edit. proleg. p. XVII.

2) H. Dressel in dissert. 'De Isidori originum fontibus' inscripta (Aug. Taurin. 1874 p. 1—11).

liceat unum saltem exemplum afferre. Conferatis, quaeso, haec verba:

Isid. de nat. rer. IX 1	Etymol. III 29	Hygin. astron. I 1 p. 22
Mundus est universitas omnis, quae constat ex caelo et terra.	*Mundus est is qui constat ex caelo et terra mari cunctisque sideribus.*	*Mundus appellatur is, qui constat ex sole et luna et terra et stellis omnibus.*

In utroque Isidori loco mundus definitur et ita quidem, ut altera definitio ab altera non abhorreat. Etymologiarum autem verba ex Hygino fluxisse statim omnes concedent propter tantum singulorum verborum concentum. Nil Isidorus mutavit, nisi quod pro Hyginiana lectione *ex sole et luna* scripsit *ex caelo* vocabulo *mari* adiecto. Inter librum autem de natura rerum et etymologias hac in definitione rationem quandam intercedere probatur verborum coniunctione *quae* (*qui*) *constat ex caelo et terra*. Quae cum ita sint, concludendum est Isidorum in libro de natura rerum idem excerptum respexisse et adiisse quo in etymologiis usus est. At cum harum verba ex Hygino sumpta sint, etiam illius memoria ab eodem auctore originem ducit[1]), quamquam in excerpto describendo Hispalensis episcopus denuo contextum mutavit et depravavit. Etymologiis adiuvantibus ut fontes libri de natura rerum enuclearentur, adhuc fieri non potuit, cum docti utriusque Isidori scripti ratione omnino non vel parum diligenter respecta non recte de hac quaestione iudicarent. Putabant enim Hispalensem virum doctrinam e libro de natura rerum in etymologias transtulisse[2]).

Deinde autem insuper e nostra disputatione elucet quam audacter Reifferscheidius iudicaverit, qui tantum verba opusculi de natura rerum in numerum fragmentorum Suetonii recepit, cum sciamus multo saepius — ut exemplis probatur — etymologias lectionem praebere integriorem. Itaque per se falsum est cen-

1) Contra Reiffersch. falso, cum rationem utriusque Isidoriani scripti ignoraret, haec verba Suetonio tribuit. Cf. l. c. fragm. 124*.

2) Cf. G. Becker: Isid. edit. proleg. p. XXIII et H. Dressel l. c. p. 9.

sere, semper illo in libello Isidorum Tranquilli integra verba nobis prodidisse, cum persaepe nil habeamus nisi Suetonii sententias satis corruptas, deformatas, depravatas. Constat igitur in hac re Reifferscheidium erroris non prorsus expertem esse: quatenus autem ei fides habenda sit in ceteris rebus statuendis, mox ubi fontes ipsos disquiremus intellegemus. Priusquam autem ad hanc rem veniamus, quae Isidorus ipse in suo libello conficiendo adiecerit videamus, ne quid disputationi desit.

§ 3. Loci quos Isidorus ipse videtur adiecisse enumerantur.

Doctrinam, quam Hispalensis excerptor nobis praebet, non ex illius ipsius ingenio exortam, sed plerumque ab aliis doctis petitam esse iam diu inter omnes constat. Imprimis etymologiae quae dicuntur quibus omnes fere litterarum partes continentur, multis multorum scriptorum sententiis ab Isidoro excerptis compositae sunt. De hac re optime iam A. Ebertus[1]) ita scribit: *Isidor erscheint in seinen Werken fast nur als Sammler oder Compilator, dem alle eigenen Ideen abgehen, der seine gelehrten Werke aus einer Unmasse von teils wörtlich, teils dem Sinn nach gemachten Excerpten mosaikartig zusammenzusetzen pflegt; der grösste Excerpist und Compendiator, den es vielleicht gegeben hat.* Nec aliter atque in etymologiis res sese habet in libro de natura rerum. Pro certo dici potest, nil paene Isidori ipsius esse nisi locos illos sensus mystici, ut aiunt, plenos et verba scripturae sacrae, quae fortasse memoriae inhaerentia saepe ac libenter adiecit ad aliorum sententias confirmandas et illustrandas. Atque nos quidem illius libelli fontes perscrutantes indice subscripto omnes eos composuimus locos, quos Isidorus de suo attulisse nobis videtur[2]).

I 3 *Mystice . . . perducit*	IV 1 *cuius figura . . . terminatur*
II 1 *duobus autem . . caeci cordis*	IV 5 *in codicibus . . . cacumina montium*
III 1 *apud Hebraeos . hebdomadibus*	VI 1 *cuius quidem . . retributionis*
III 1 *vel eo . . . feriatus habetur*	

1) A. Ebert: Allgemeine Geschichte der Literatur des Mittelalters im Abendlande I p. 589.

2) Negleximus eos locos paucos, quibus una comprehensione antecedentia ipse episcopus complectitur (cf. de nat. rer. VII 7), quos omnes legentes perfacile cognoscent.

VI 4 *annus iubilaeus . . possessio*
VI 7 *aera . . . adcrescit*
VII 6 *ceterum . . . decoratur*
IX 1 *praeterit . . . significatur*
IX 2 *licet et . . . cognovit*
XII 1 *caelum spiritualiter . praedicaverunt*
XIII 1 *siquidem . . . superiorum aquarum*
XIV 2 *sed hi . . . stabilire in caelo*
XV 3 *ad vero . . . torrebit*
XVII 5 *quod autem . nocte ambulaverunt*
XVIII 5, 6 *ceterum . habet et ortus*
XVIII 6, 7 *et dux humentium . . . conferuntur*
XX 3 *ceterum doctores . inluminaret*
XXI 3 *sed sicut . . . diffundit*
XXIV 2 *stellae autem . descriptio est*
XXVI 1 *haec nomina . . innotescat*
XXVI 4 *per hunc . . . iustificatur*
XXVI 7 *his autem . . . ostendunt*
XXVI 9 *oriones autem . iactantur*
XXVI 10 *cuius figura . confringitur*
XXVI 12 *cuius figura . meruerunt*
XXVII 1, 2 *et dum . resurrectione*
XXIX 2 *alias . agnoscere mundus*
XXX 5 *in fulminibus . . . cordis pervenientia*
XXXI 2 *hic autem . . . in inferno*
XXXII 1, 2 *notandum . . . sancti praedicatores*
XXXIII 1 *legitur in Amos . faciem terrae*
XXXIII 3 *nubes autem . infundunt*
XXXIV 1 *nix autem . . . sicut nix*
XXXV 2 *figuraliter . . . spiritu caritatis*
XXXVI 3 *venti autem . . . urens*
XXXVIII 5 *item dominus . futura erit*
XLV 2 *quis enim . . . relinquendum est*
XLVI 3 *huius . . . credendum*
XLVII 4 *constat . . . habiturus*

Quibus absolutis nova paragrapho omnia quae restant ad fontes, quatenus omnino fieri potest, revocabimus, ut appareat, num Beckerus et Reifferscheidius, qui iam in hac re versati sunt, recte iudicaverint et in fontibus ipsis statuendis et in tota quaestione absolvenda. Atque ita hanc disputationem instituam, ut primum examinem Isidori auctores ecclesiasticos, deinde gentilium scriptores, quos episcopus secutus esse videtur. Omnes autem non secundum tempus afferam quo vixerunt, sed secundum crebritatem, qua Isidorus eis usus est, secutus ea in re ipsum Beckerum[1]).

1) Cf. G. Becker l. c. p. VI sqq.

§ 4. De Isidori in libello 'de natura rerum' auctoribus ecclesiasticis.

a) Ambrosio quae debeat Isidorus.

Ab Ambrosio, episcopo illo celeberrimo, Isidorum saepissime pendere, et omnes illos locos allatos ex uno eius opere, ex Examero, sumptos esse iam Beckerus rectissime ostendit[1]). Atque tanta diligentia hic vir doctus omnes locos perscrutatus est et tanto studio verba Ambrosiana ex hoc Isidori libello elicuit, ut pauca tantum quae addantur relicta sint. Nonnulla addidit iam Reifferscheidius in Suetonii editione denuo in hanc quaestionem penetrans. Paucissima quaedam quae hos viros fugerunt mihi demum occurrerunt, cum e totius opusculi variarum multorum scriptorum sententiarum farragine uniuscuiusque scriptoris verba enucleare conarer. Invenerunt autem illi docti iam hos et Ambrosii et Isidori locos communes, quos Hispalensis, partim auctoris nomine ipso allato partim neglecto, modo ad verba, modo mutatos et mutilatos descripsit[2]):

Isid. de nat. rer.	Ambros. Exam.
II 1 *noctem . . . umbra terrarum*	IV 3, 11 *similiter et nox . umbra terrae*
II 1 *quam datam . . . officium*	I 10, 38 *noctem . . . functionem*
VI 4 *solstitialis . . . recurrit*	IV 5, 24 *solstitialis . . . recurrit*
VII 1—3 *tempora . . . locum*	IV 5, 21 *tempora . . . locum*
VII 3 *autumpnus . . . sonantium*	IV 5, 23 *postea nos . hiemalibus*
XI 2, 3 *terra arida . concinant*	III 4, 18 *terra arida . . concinant*
XII 2 *caelum . caelatum vocatur*	II 4, 15 *nam caelum . . . dicimus*
XII 4 *hunc autem . . . temperent*	II 3, 12 *deinde cum . . temperaret*
XIII 1 *legimus . . . arbitrantur*	II 2, 5. 6 *sed prius . arbitrantur*
XIV 1 *aquas super . . . effuderit*	II 3, 9 *et primo . . . volvatur*
XIV 2 *nam cum . . . temperaret*	II 3, 12 *deinde cum . temperaret*
XV 1 *solem . . . ex aliqua causa*	II 3, 14 *tantum autem . . . causa*
XV 2 *nos autem . . . exurit*	IV 3, 9 *at vero . . . exurit*
XV 2 *unde frequenter . sumpserit*	II 3, 13 *unde . . . sumpserit*

1) G. Becker l. c. p. VI.
2) Cf. imprimis Isidori l. c. capita XXXVIII et XLII.

Isid. de nat. rer.	Ambros. Exam.
XVI 1, 2 *solis radius . . intendere*	IV 6, 25. 26 *solisradius . dispendio*
XVII 3 *cui ideo . . . consumeret*	II 3, 14 *vel hinc . . . exureret*
XVIII 6 *item . . . roris*	IV 7, 29 *nam et ipsa . adseritur*
XVIII 6 *frequenter . . . coronatur*	IV 8, 32 *prospiciens . . coronatur*
XIX 2 *itaque luna . . . celebrato*	IV 5, 24 *in annos , . . celebrato*
XIX 2 *cuius etiam . . . feruntur*	IV 7, 29 *in quo . . . feruntur*
XXVIII *quaeritur . . . umbra terrarum*	IV 3, 11 *similiter . umbra terrarum*
XXIX 1 *concepti enim . murmure*	II 4, 16 *unde . . . murmure*
XXXIV 1 *quod plerumque . . . funditur*	II 4, 16 *plerumque . . . funditur*
XL 1 *et tamquam . . . refundatur*	IV 7, 30 *tamquam . . refundatur*
XLII 1 *mare idcirco . . . movet*	II 3, 14 *mare . . . potandi sit*
XLV 1 *de terrae . . . in nihilo*	I 6, 22 *de terrae . . . in nihilo*

Omnibus his locis cum illis viris assentiar, iam addenda erunt ea quae omiserunt. Ultimo ex indicis allati loco elucet, Isidorum ab Ambrosio pendere in primae quadragesimi quinti capitis paragraphi parte priore. Sed etiam sequentia ex eodem loco fluxisse persuasum habeo. Atque primum quidem huius capitis initium, ubi verborum auctor ipse appellatur, cum Ambrosianis verbis comparemus, ut eluceat ratio describendi, qua hic usus est excerptor Hispalensis.

Legimus (de nat. rer. XLV 1): *Qualiter terra super aerem fundata libratis credatur stare ponderibus sic dicit Ambrosius: 'De terrae autem qualitate sive positione sufficiat secundum scripturam Iob sciendum 'quia suspendit terram in nihilo.''* Ambrosius autem ipse scribit (Exam. I 6, 22): *De terrae quoque vel qualitate vel positione tractare nihil prosit ad spem futuri, cum satis sit ad scientiam, quod scripturarum divinarum series comprehendit 'quia suspendit terram in nihilo.* His locis inter se respondentibus perlustratis facile videbis Isidorum hic summa in exscribendo licentia usum esse et nonnulla addentem et verba mutilantem, omnino minus accurate auctorem excerpentem. Qua e re apparet, etiam in sequentibus verbis describendis episcopum perfacile eadem licentia uti potuisse, nec habemus cur nimis simus diligentes in verborum concentu respiciendo. Sequuntur autem apud Isidorum haec verba quae cum Ambrosianis conferantur:

Isid. de nat. rer. XLIV 1	Ambros. Exam. I 6, 22
Philosophi quoque similiter opinantur aere denso terram sustineri et esse in modum spongiae adque in medio aeris mole sua inmobilem pendere sicque ut aequabili motu hinc atque inde veluti alarum subfulta remigiis ex omni parte librata propendeat nec in partem possit inclinari alteram.	*Multi etiam in medio aeris terram esse dixerunt et mole sua inmobilem manere, quod aequabili motu hinc atque inde ex omni parte protendat.*

Quicumque eos locos, quos attuli, comparaverit, statim concedet, eos vinclo quodam esse nexos, et tali quidem, ut non sit audacis hominis statuere alterum ex altero fluxisse. Nam, ut sensus convenientiam omittam, ipse verborum Isidori (*philosophi terram in medio aeris mole . . . propendeat*) et Ambrosii (*Multi etiam in medio aeris terram . . . protendat*) concentus tam perspicuus est, ut divelli minime illa possint. Quae cum ita sint, Reifferscheidio assentiri non possum, qui hanc memoriam Suetonio tribuit[1]). Quod Isidorus Ambrosii lectionem *multi* commutavit in *philosophi,* mirum non est nec abhorret ab illius ratione describendi. Etiam verba *opinantur aere denso terram sustineri,* quae apud Ambrosium deesse videntur, perfacile episcopus Hispalensis ex Ambrosii memoria *Multi etiam in medio aeris terram esse dixerunt* sibi fingere potuit. Difficilius est discernere, unde sint deducta illius verba *et esse in modum spongiae,* quae re vera Ambrosius non praebet.

Spectare mihi videntur ad Servianum quendam locum[2]), quem Isidorus in etymologiis[3]), ubi de terra eiusque motu loquitur, excerpsit. Legimus: *alii σπογγοειδῆ terram volunt.* Quid obstat, quominus Isidorum hoc Graecum vocabulum in Latinum sermonem hic vertisse arbitremur?[4]) Sed iam transeamus ad alterum locum

1) Cf. Reiffersch. fragm. 158*.
2) Cf. Serv. ad Georg. II 479.
3) Isid. etymol. XIV 1, 3.
4) Isidorum non plane Graecorum linguae imperitum fuisse iam recte explicavit H. Dressel (De Isidori originum fontibus diss. Aug. Taurinor. 1874 p. 11), etsi fatendum est eum rudimentis tantum illius sermonis imbutum fuisse.

libri de natura rerum, de quo Reifferscheidius eodem modo erravit quo hic. Exstant haec verba:

Isid. de nat. rer. XXIV 1	Ambros. Exam. IV 6, 27
Omnia enim sidera obscurantur sole oriente, non cadunt. Nam dum sol ortus sui signa praemiserit, omnis stellarum ignis sub eius luminis fulgore evanescunt.	*Simul ut sol ortus sui signa praemiserit, omnes stellarum ignes sub unius luminaris fulgore vanescunt.*

His exemplis perlustratis qui mecum statuent Isidorum etiam hic sua Ambrosio debere, non habebunt cur amplius de Reifferscheidii, qui haec verba Suetonio tribuit[1]), opinione disserant. Denique alius Isidori locus (de nat. rer. IX 1) ex Ambrosii memoria (Exam. I 6, 20) propter haud parvum et sensus et verborum utriusque scriptoris concentum fluxisse mihi quidem videtur[2]). Ipsa verba comparari iubeo:

Isid. de nat. rer. IX 1	Ambros. Exam. I 6, 20
. . . Secundum mysticum autem sensum 'mundus' homo significatur; quia sicut ille ex quattuor concretus est elementis, ita et iste ex quattuor constat humoribus uno temperamento commixtis.	*In his enim quattuor illa elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia ista quae mundi sunt. Elementa autem quattuor, caelum ignis aqua et terra, quae in omnibus sibi mixta sunt.*

Omnibus exemplis quae ad hanc quaestionem spectant enumeratis restat ut paucis loquamur de Ambrosii ipsius fontibus, e quibus fluxerit eius doctrina et scientia. Hoc mihi omittendum non esse videtur, quod haec res summi est momenti ad Isidori fontes principales cognoscendos. Nam si nobis contingat demonstrare, Ambrosium hausisse interdum — ut exemplum afferam — e Suetonio, etiam Isidori respondentia verba ex Ambrosio sumpta Suetoniana sint origine.

De Ambrosii Exameri fontibus nuper optime tractavit Carolus Schenkelius[3]), qui omnes quos investigare potuit auctores

1) Reiffersch. l. c. fragm. 140*.

2) Reifferscheidius etiam hunc Isidori locum Suetonii esse censet cf. l. c. fragm. 124*.

3) Cf. C. Schenkelii Ambrosii edit. in corp. scriptor. ecclesiast. lat. vol. 32 [1] praef. p. XIII—XVIII.

summa diligentia contulit. A vetustioribus auctoribus hunc episcopum pendere ex Hieronymi loco quodam docemur. Exstat enim in epist. 84, 7 (XXII 749 M) haec memoria: *nuper Ambrosius sic Hexaemeron illius* (scil. Origenis) *compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basiliique sequeretur.* Sed intellexere docti Ambrosium multo maximam partem sui operis e Basilio expressisse, ideo non multis locis Origenem et Hippolytum secutum esse patet. Liceat Schenkelii ipsa verba afferam (l. l. p. XIII): *Num vero recte dixerit Hieronymus Ambrosium Origenis Hexaemeron, hoc est Commentarios in Genesim, quorum paucae nunc reliquiae extant* (cf. Harnack: 'Die Ueberl. und der Best. der altchr. Litt.' I 343 et Patr. Gr. XII 45 sqq. M.) *compilavisse profecto dubitari potest. Immo Basilii, cuius sententias tantum eum magis secutum esse Hieronymus refert, opus expilavit ita ut plerumque eius dispositionem sequeretur, multa isdem fere verbis redderet, longe plura maiore usus verborum ambitu exprimeret, denique in universum interpretis potius quam scriptoris munere fungeretur.* Quibus prolatis alios Schenkelius affert auctores, ut Philonem philosophum et Ciceronem. Plinii autem naturali historiae num episcopus aliquod studium impenderit, quam maxime dubitat, cum vix ullo Exameri loco, ubi de eisdem rebus agatur, eadem quibus Plinius usus est verba recurrant (cf. Schenkelii l. c. p. XVI). Cetera autem fere omnia ad unum auctorem referenda esse hic Ambrosii editor ibidem censet, nimirum ad Suetonium et ad unum eius opus, ad *prata*.

Huius opinionis auctor est A. Reifferscheidius[1]), qui demonstrari posse contendit, Ambrosium nonnullos locos e Suetonio excerpsisse, quapropter illius verba in Tranquilli fragmenta recepit[2]). Reifferscheidium autem longe post se relinquit Martinus Schanzius, eo progressus, ut multo pluribus quam Reifferscheidius vult locis Ambrosium a Tranquillo pendere suspicetur. Scribit enim[3]): *Die Benutzung von Suetons Pratum wird durch Giraldus Cambrensis itinerar. Cambriae I 7 bezeugt. Aus ihm stammt die Geschichte des Hundes (Ambros. Exam. VI 4, 24), welche sich in Antiochien zutrug. Es ist zweifellos, dass*

1) Reiffersch. l. c. p. 442 sqq.

2) Cf. imprimis Reiffersch. l. c. fragm. 162* p. 254.

3) Cf. M. Schanz: Hist. litt. Rom. VIII 4, 1 p. 293.

mit diesem einzigen Fall die Benutzung Suetons nicht abgeschlossen hat. Wie ich glaube, kann hier die Forschung noch manchen Baustein zur Rekonstruierung des Pratum gewinnen. Die durch Reifferscheid begründete unrichtige Auffassung des Pratum hinderte die Hebung des Schatzes.

Iam vides doctos illos ut Ambrosium a Suetonio pendentem demonstrent niti memoria Giraldi Cambrensis qui in itinerario Cambriae, anno circiter MCLXXX scripto cum alia nobis prodidit tum haec I 7: *unde et exemplum unum, quod Suetonius tangit in eo libro qui de animantium naturis inscribitur et Ambrosius quoque in exameron narrat, hic interserere non superfluum reputavi.*

Affert deinde narratiunculam de canis fide, qui mortem domini ultus est, ad verba paene ex Ambrosio (Exam. VI 4, 24 *Antiochiae ferunt* e. q. sqq.) sumptam. Sed praebeturne re vera Giraldi Cambrensis verbis certum testimonium e quo satis clare eluceat Ambrosium e Suetonio hausisse et iudicant recte Reifferscheidius et Schanzius, quorum ille dicit[1]) nos necessario eo adduci, ut censeamus Ambrosium hanc narratiunculam e Tranquilli libro 'de animantium naturis' deprompsisse, praesertim cum plane diversa sit a similibus narrationibus, quas veteres ad canis sollertiam illustrandam adponere soliti essent, alter autem hac coniectura nisus Ambrosium multo pluribus locis a Suetonio pendentem vult facere?

Mea quidem sententia, ut paucis rem absolvam, Reifferscheidius argumentum satis grave non protulit ad suam opinionem confirmandam. Ne veri quidem est simile eum recte vidisse. Nam primum, quod casu nullus alius scriptor eandem vel similem historiam eiusmodi praebet praeter Suetonium, minime confirmatur Ambrosium illum necessario adiisse. Tales fabulae, quomodo nunc fit, etiam olim a maioribus transiere ad minores natu. Ambrosius igitur a parentibus vel avis vel nescio quibus aliis hanc narratiunculam comperire et nobis prodere potuit. Sed ne e Giraldi quidem verbis elucet Suetonium eadem verba praebuisse quae Ambrosius tradidit. Nam legimus: *unde et exemplum unum quod Suetonius tangit . . . hic interserere non superfluum reputavi.* E verbo *tangit* fit verisimile Suetonium non tanto verborum ambitu illam narratiunculam tractasse, quanto Ambrosium.

1) Reifferscheidius l. c. p. 443.

Quod iam intellexisse G. Beckeri meritum est, qui ita scribit[1]): *Dann sagt ja Giraldus Cambrensis gar nicht, dass Sueton dies erzählt habe, sondern nur quod Suetonius tangit. Er braucht also bei Sueton weiter nichts gefunden zu haben als eine kurze Notiz, wie sie schon bei Isid. orig. XII 2, 26 steht: corpus domini sui etiam mortuum non relinquunt.* Quamquam his Beckeri ultimis verbis vix assentiri possum, — nam mihi non fit veri simile Giraldum, si nihil aliud apud Suetonium exstitisset nisi illa memoria, eam cum Ambrosii narratiuncula comparaturum fuisse, — tamen in universum rectissime iudicavit. Praeterea hic vir doctus nos monet[2]), Suetonii non fuisse tales fabulas tam multis verbis narrare. — His ratiocinationibus eo adducimur, ut dicamus nullo argumento confirmari posse, Ambrosium tum, cum opus suum conficeret, hanc historiam e Suetonio ipso expressisse. Quae cum ita sint, actum est de Reifferscheidii et Schanzii argumentationibus. Nam fundamento erepto etiam ceterae eorum de Suetonio Ambrosii auctore opiniones corruunt.

Ambrosium igitur e Tranquilli pratis hausisse mera est coniectura eaque incertissima. Qua quaestione absoluta ad rem ipsam revertamur, ut nova huius paragraphi parte de altero Isidori auctore, de sancto Clemente disseramus.

b) De Clemente Isidori auctore.

Clementem Romanum se adiisse Isidorus ipse testis est: quinquies in libro de natura rerum diserte eum affert. Atque Hispalensem episcopum Rufini 'Recognitionum' versionem ante oculos habuisse nunc, quatenus intellegere potui, inter omnes doctos constat[3]). Locos, quibus illa versione Isidorus usus sit, iam Beckerus[4]) optime ex illius contextu collectos composuit et ita quidem diligenter, ut Reifferscheidius nihil novi afferre potuerit. Pendet Isidorus a Clemente Romano illorum sententia locis hisce:

1) G. Becker: Annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 640.
2) G. Becker ibid. p. 640.
3) G. Becker: Isid. libr. de nat. rer. edit. proleg. p. VII.
4) G. Becker ibid. p. VII.

Isid. de nat. rer.	Clem. Recognit.[1]
XVII 3, 4 *diversos . . . inducitur*	VIII 45 *haec ergo . . . derelinquit*
XXXI 1 *arcus . . . formatur*	VIII 42 *ita ergo . . . imago*
XXXVI 2 *eo . . . incanduerint*	VIII 23 *nam quod . incanduerint*
XXXIX 1 *quando . . . animantia*	VIII 45 *horum . . . inducitur*
XL 3 *oceanus . . . mundi*	Quamquam Clemens auctor ipse ab Isidoro nominatur, tamen haec verba inveniri non possunt.
XLI 1 *eo quod . . . exhauriat*	VIII 24 *sed dicis . . . redderet*

Sed mihi Clementis 'Recognitiones' perlegenti et cum Isidorianis verbis comparanti praeter hos occurrit locus apud utrumque scriptorem adeo conveniens, ut Isidorus, quin haec verba Clementi debeat, dubium nemini esse possit. Legitur:

Isid. de nat. rer. XII 4	Clem. Recognit. VIII 21
. . . *aequaliter enim ex omni parte fertur esse collecta* (scil. sphaera) *et omnia similiter respiciens adque a centro terrae spatiis aequis distincta, ipsaque sui aequalitate ita stabilis, ut eam in nullam partem declinare undique aequalitas collecta permittat ac nullo fulcimento subvecta sustentetur.*	*Ponunt enim sphaeram aequaliter ex omni parte collectam, et ad omnia similiter respicientem, atque a centro terrae aequis spatiis distinctam, ipsaque sui aequalitate ita stabilem, ut eam in nullam partem declinare undique aequalitas collecta permittat; et ita a nullo fulcimento subvecta sustentatur sphaera.*

Reifferscheidius, quem hic Clementis locus fugit, non recte verba Isidori in Suetonii Tranquilli fragmentis posuit[2]). Sed iam, cum nullam aliam Hispalensis episcopi memoriam invenire potuerim a Clemente petitam, videamus quos praeterea ecclesiasticorum virorum ille secutus sit.

c) De Augustino Isidori auctore.

Sane mirum esset, si Isidorus neglexisset doctrinam eius viri, qui, ut ipse scribit[3]), *omnium scriptorum studia ingenio vel scientia*

1) Omnibus in 'Recognitionum' locis enumerandis inspexi Patrol. Graec. (Mign. edit.) vol. I.

2) Cf. Reiffersch. l. c. fragm. 127* p. 203.

3) Isid. etymol. VI 7, 3.

vicit; qui tanta scripsit, ut diebus ac noctibus non solum scribere libros eius quisquam, sed ne legere quidem occurrat. Ac si Isidorum multo saepius videmus illum in etymologiis conficiendis excerpentem, tamen etiam in libro de natura rerum nonnullis locis eius auctoritatem adiit interdum auctoris nomen ipsum servans. G. Beckero et Reifferscheidio indicantibus his locis Hispalensis episcopus Augustini operibus usus est:

Isid. de nat. rer.	August.
	Quaest. Evangel. I 7 (M. XXXV col. 1325)
I 3 *dies autem . . . pervenit*	*in genesi . . . lumen iustitiae*
	contra Faust. XVIII 5 (M. XLII col. 346)
IV 2—4 *antiqui autem . . Lupercorum appellaverunt*	*sed et mensibus . . sacris Lupercorum*
	Enarr. in ps. X 3 (M. XXXVI 131, 132)
XVIII 1-4 *quaeritur . . ambitu plena*	*duae sunt . . . non potest*
	Enarr. in ps. X 4 (M. XXXVI 133)
XXI 3 *figuraliter . . . infirmi*	*sive ipsorum . . . infirmi*
	de Genes. ad litt. II 38 (M. XXXIV 279)
XXVII 1 *solet autem . . praesentia*	*solet etiam . . . praesentia*
	de civit. dei XVI 17 (M. XLI 497)
XLVIII 2 *Asiam autem . . nobis facit*	*namque ista . . . nobis facit*

Sed fugit hos doctos loci cuiusdam concentus apud utrumque scriptorem, quem protraxit Eduardus Woelfflinus in 'Musei Rhenani' volumine XLII, ubi (p. 485) haec verba inter se comparari iubet:

Isid. de nat. rer. XXXVI 1	August. de quant. animae c. 4 (M. XXXII 1039)
Ventus est aer commotus sive agitatus adprobante Lucretio: 'Ventus enim fit ubi est agitando percitus aer'. Hoc enim in loco tranquillissimo et ab omnibus ventis quieto brevi flabello adprobari potest, quo etiam muscas abigentes	*Nihil aliud quam istum aerem commotum ac agitatum ventum esse sentimus, quod in loco tranquillissimo et ab omnibus ventis quietissimo vel brevi flabello approbari potest, quo etiam muscas abigentes aerem*

Isid. de nat. rer.	August.
aerem commovemus flatumque sentimus. Quod cum evenerit occultiore quodam motu caelestium vel terrenorum corporum per magnum spatium mundi ventus vocatur ex diversis partibus caeli nomina etiam diversa sortitus.	*commovemus flatumque sentimus. Quod cum evenerit occultiore quodam motu caelestium vel terrenorum corporum per magnum spatium mundi ventus vocatur ex diversis partibus caeli nomina etiam diversa sortitus.*

Vides ad verba utrumque locum consentire. De hoc autem consensu Woelfflinus[1]) ita iudicavit: *Schöpfte Augustin aus Sueton oder direkt aus Varro? Die Uebereinstimmung zwischen Augustin und Isidor, die beide einen dritten Autor (?) abschrieben, ist so gross, wie sie in der älteren Litteratur in der Blütezeit der Papyrosrolle selten zu sein pflegt, wie sie aber seit der Buchform (Pergament-Codex) gewöhnlich wird.* Quod Woelfflinus et Augustinum et Isidorum e tertio fonte hausisse censet, non explicari potest nisi eo, quod Reifferscheidii coniectura quasi firmo fundamento fretus Hispalensem virum re vera haec verba e Suetonio sumpsisse[2]) arbitratur. Nam si Isidorus ipsum Suetonium adiit, Augustini autem verba cum Isidorianis congruunt, utrumque ex eodem scriptore hausisse consentaneum est. Sed cum Varro de eadem re scriberet[3]), etiam fieri potuisse censet Woelfflinus, ut Augustinus Varronem ipsum excerperet. Hoc veri non esse simile iam ex eo elucet, quod Augustini verba, si e Varrone ipso sumpta essent, certe non tam accurate consentirent cum Isidorianis e Suetonio haustis, quorum originem Suetonianam a Reifferscheidio enucleatam ille non refutat. Minime mea quidem sententia Suetonium illam memoriam ad verba e Varrone excerpsisse putandum est. Sed quo tandem iure Woelfflinus utrumque scriptorem tertium fontem respexisse dicit? Nullo me quidem iudice. Nam haec Isidori verba e Tranquillo fluxisse nil est nisi Reifferscheidii, quem iam saepius erravisse vidimus, coniectura incertissima. Quamquam, ut postea ex hac dissertatione elucebit, concedendum est Suetonium de ventorum nominibus scripsisse. tamen hanc venti definitionem eius esse nullo testimonio confirmatur. Quid? Nonne multo verisimilius est Isidorum sua ex Augustino ipso expressisse? Nonne perfacile fieri potuit, ut Hispalensis episcopus, qui Augustini libros procul dubio plurimos legerat, qui tot et in etymologiis et in libro 'de natura rerum' eius verba adhibuit auctore ipso nominato, etiam hic sua debeat Augustino? Minime haec verba talia sunt, ut Augustini esse non possint. Itaque si certum testem ab Isidoro ipso toties adhibitum habemus, qui haec verba cum illius accurate habet congruentia, cur alium fontem quaeramus multo reconditiorem et omnino incertum? Hac commotus ratiocinatione non dubito primam huius Isidori libelli capitis XXXVI paragraphum Augustino tribuere.

1) E. Woelffl. in Mus. Rhen. vol. XLII p. 485.

2) Cf. Reiffersch. l. c. fragm. 150*.

3) Varronem de ventis scripsisse et Seneca et Vegetius sunt testes. Nam hi illum se secutos esse profitentur: cf. Veget. de re militari V 8 (e Varronis libris navalibus) et Senec. nat. quaest. V 16, 17, ubi Varro auctor citatur.

d) De Hieronymo Isidori auctore.

Unum tantum exemplum Beckerus[1]) attulit ad Hieronymi auctoritatem hoc in Isidori libro demonstrandam et id satis incertum, cum ipsa ea verba[2]) in compluribus Isidori codicibus non exstent. Huic exemplo alterum adiecit Reifferscheidius[3]), qui optimo iure Isidori verba (XXX 1 *aiunt naturalium scrutatores .... ex his ignis elabitur*) ex eodem scriptore fluxisse dicit, nimirum ex Hieronymi Orig. hom. in Ierem. interpr. 5 (M. vol. XXV col. 629), ubi paucis tantum mutatis eadem leguntur. Ne nobis quidem, qui duos illos scriptores comparavimus, his exemplis novum addere contigit. Nullo loco praeter illos Isidorus Hieronymi auctoritatis habuit rationem. — Hactenus de ecclesiasticis Isidori auctoribus. Proxime cum his coniungendus est mythographus quem dicunt scholiastam Germanici, quem, quamquam cum illis minime comparandus est, christianum fuisse persuasum habeo, quod quindecim locis gentiles nominat[4]), quorum uno de eorum ridiculosissima vanitate loquitur[5]). De eius apud Isidorum auctoritate sequenti in paragrapho erit disserendum.

1) G. Becker: Isid. edit. proleg. p. VII.

2) Verba dico Isidori *dies azymorum ... Zachariae scripsit* (de nat. rer. I 3).

3) Reiffersch. l. c. p. 223 (adnot. ad fragm. 144*).

4) Inspice indicem Breysigii editionis Berol. 1867.

5) Cf. schol. Germ. p. 228, 16 edit. Breysigii.

§ 5. De ratione inter scholiastam quem dicunt Germanici et Isidorum.

Quicumque Isidori scripta et commentarium scholiastae Germanici legerint et inter se comparaverint, saepe prorsus eadem vel similia verba apud utrumque scriptorem exstare invenient. Quaeritur nunc, quae ratio intercedat inter Isidorum et scholiastam. De hac re iam multa ac diversa a doctis excogitata et prolata sunt, sed minime adhuc disceptatio ad finem perducta est, neque certis argumentis singulorum opiniones sunt confirmatae. Itaque, cum nobis in Isidori libelli 'de natura rerum' fontibus investigandis summi sit momenti cognoscere utrum scholiasta Hispalensis episcopi auctor appellari possit necne, nostrum est, denuo in hanc quaestionem inquirere, ut, si dis placet, aptis argumentis allatis res tandem disceptetur. Atque disputationem optime ita institui arbitror, ut primum paucis ostendam, quomodo de hac re iudicaverint, qui iam versati sunt in illa quaestione, deinde ut diligenter eorum sententiis in examen vocatis aut assentiar aut eas refutem. Iam Gustavus Beckerus scholiorum farragine duas in partes divisa, mythologicam et mathematicam, ut ipsius verbis utar [1]), distinxit. Utramque partem — cuius una iam Lactantio fuit cognita, ut ex eius ipsius verbis elucet (de falsa relig. I 11, 64) — ante Isidorum iam exstitisse et ab Hispalensi episcopo expressam esse Beckerus contendit, sed post Isidorum quendam fuisse, qui commentario in angustum coacto pauca ex Isidoro adderet [2]).

Hanc a Beckero opinionem prolatam Breysigius impugnat in Philol. XIII p. 663 sqq., statuens mythologicam tantum scholiorum partem iam quarto p. Chr. n. saeculo exstitisse, alteram vero demum post Isidori aetatem exortam ex ipsius Hispalensis episcopi libris fluxisse.

Breysigium autem impugnans Reifferscheidius (C. Suet. Tranq. rel. p. 440) illius opinionem rectissime reicit, etsi fatetur eius rationem de utriusque scriptoris locorum similitudine indicandi multo esse simpliciorem quam Beckeri. Ipse autem Reifferscheidius iterum tota hac quaestione perpensa omnino

1) G. Becker: Isid. edit. proleg. p. VIII.
2) Cf. G. Becker l. c. p. X.

nova evicit. Negavit enim Isidorum e scholiasta hausisse aut scholiastam ex Isidoro, sed cum interdum hic, interdum ille pleniorem haberet contextum, necesse esse utrumque scriptorem pendere a tertio fonte communi [1]).

Quis autem fuerit communis auctor e quo et scholiasta et Isidorus hauserint, mox docemur: hunc neminem alium esse nisi Suetonium Tranquillum, e cuius pratis uterque scriptor excerpserit omnia, quae ad suam rem ei pertinere videbantur. Atque miro quodam modo Reifferscheidius ita disputat, ut facere non possimus quin ex eius verbis concludamus, omnia, quae in etymologiis Isidorus cum scholiasta communia habet fluxisse e pratorum epitoma, verba autem episcopi, quae in libello de natura rerum cum scholiastae verbis congruunt, desumpta esse ex ipsis pratis [2]). Non est cur de hac quaestione amplius disseramus, primum quod iam Beckerus l. c. rectissime mea quidem sententia hanc discrepantiam notavit, deinde quod hanc rem disceptare non magni est momenti ad nostram disputationem conficiendam. Sufficiat nobis intellexisse utrumque scriptorem ad tertium fontem spectare ideoque scholiastam non habendum esse in numero fontium ab Isidoro adhibitorum. De huius Reifferscheidii opinionis veritate iam subdubitare videtur G. Beckerus [3]), sed nullum certum argumentum afferre potuit ad illius sententiam refutandam. Itaque nunc denuo in hanc rem inquirere conemur, ut, quomodo res re vera sese habeat, tandem ostendatur. Ad hanc quaestionem solvendam primum Reifferscheidii argumenta, quibus nititur, in examen vocentur. Utrumque scriptorem communem auctorem secutum esse primum eo demonstrari Reifferscheidius contendit, quod non solum scholiasta, sed etiam interdum Isidorus pleniorem praeberet lectionem. Hoc imprimis apparere ex Isidori verbis (de nat. rer. XXI) [3]). Quae ex capite antecedente ille vir doctus concludi vult [4]), consulto omisi, cum verba de solis eclipsi *quapropter ita soli obicitur . . . sapientes mundi dicunt* minime cum scholiastae (p. 194, 7 sqq.) *hic autem . . . . opponitur* comparari possint. Sed revertamur ad Isidori

1) Reiffersch. l. c. p. 441.
2) Quod iam vidisse G. Beckeri meritum est, qui in annalium Fleckeis. vol. LXXXVII p. 638 diserte de hac re loquitur.
3) Cf. Reiffersch. l. c. p. 441.
4) Reiffersch. ibid. p. 441.

caput XXI. Verba quibus Reifferscheidius opinionem suam confirmari putat sunt haec:

Isid. de nat. rer. XXI 1	Schol. Germ. p. 198, 6
Luna non deficit sed obumbratur nec deminutionem sentit corporis, sed obiectu obumbrantis terrae casum patitur luminis.	*Unde defectum patitur, si inter ipsam et solem umbra terrae interveniat.*

Quam dispar utriusque scriptoris est memoria! Mihi persuadere non possum inter hos locos artiorem rationem extare. At si concedamus eos artiore vinculo esse conexos, quis non concedat, perfacile fieri potuisse, ut Isidorus sua sponte mutaret scholiastae verba et redigeret ipse in eam pleniorem formam, quam nunc legimus? — Deinde suam opinionem confirmari putat Reifferscheidius eis, quae de Arctis, Pleiadibus, Orione, Sirio sideribus potentissimis ab utroque referantur scriptore [1], in quibus alterum ad alterius orationem supplendam optime adhibeas. Profecto argumentum satis leve et infirmum! Nam minime est necesse duos scriptores, si alterius verba fortuito adhiberi possunt ad alterius disputationem complendam, ex uno eodemque scriptore hausisse. Ceterum in arctis describendis utrumque scriptorem inter se comparandum non esse iudico, cum Isidorus de arcturi stellis scribens (de nat. rer. XXVI 3) verba praebeat, quae apud scholiastam omnino non inveniuntur et in minore arcto definienda (ibid. XXVI 5) memoriam Hygini proferat — ut postea videbimus — quem scholiasta hic (p. 112) minime adiit. Etiam quae Isidorus ibidem de Pleiadibus dicit, fere omnia ex alio scriptore fluxisse mox apparebit. Ex eis autem verbis quae cum scholiastae consentiunt [2]) omnino nil certi concludi potest. Quod ad Orionis stellam attinet, iam in secunda huius dissertationis paragrapho explicavimus in etymologiis [3]) verba accurate cum scholiasta congruere, ut nihil de utriusque scripti ratione dici possit [4]). In libello autem de natura rerum conficiendo episcopus eodem excerpto usus contextum sua sponte mutilavit. Denique ratione, qua

1) De his sideribus Isidorus agit in libri de nat. rer. capite XXVI.

2) Dico Isidori verba de nat. rer. (XXVI 6 *Pliades autem a pluritate ... appellant*) et scholiastae (p. 149, 14 *quas;Graeci a pluritate Pliadas .. vocant*).

3) Cf. Isid. Etymol. III 71, 11.

4) Cf. schol. Germ. p. 163, 11.

Isidorus Sirium stellam commemorat, Reifferscheidii sententia non confirmatur, quia, ut postea demonstrabimus, etiam hic Isidorus alio fonte (scil. Hygino) usus est. Quibus absolutis venio ad tertium Reifferscheidii argumentum. Nititur enim Isidori libelli de natura rerum capite XXXVIII. Hic enim apparere dicit [1]) primum scholiastam ex Isidoro haurire non potuisse, eo quod signa tempestatis in sole et luna, quae Isidorus sine distinctione proferat, a scholiasta perite separatim tractata sint, deinde quod etiam scholiasta Varronis verba (Reiffersch. l. c. p. 237, 5) puriora praebeat quam Isidorus. ‘At ne’, pergit, ‘Isidorum rursus de scholiasta pendere putemus, praecedunt apud eum signis in sole et luna testimonia Varronis et Suetoni de aliis praesagiis, quorum nec vola nec vestigium apud scholiastam extat.’ Sed iterum Reifferscheidius incidit, opinor, in errorem. Nam primum minime pro explorato habendum est, totius huius Isidoriani capitis verba ex uno eodemque fonte fluxisse. Isidorus illis quae apud scholiastam deesse dicuntur ex alio auctore vel aliis auctoribus sumptis cetera e scholiasta describere potuit. Deinde si quis accuratius scholiastae verba perscrutabitur, facile inveniet utrumque fragmentum, quamquam leviter corruptum et depravatum illic reperiri. Suetonii enim verba tantum nomine auctoris et ipsius memoriae initio omisso accurate leguntur in fine excerptorum a scholiasta Germanici e Plinio confectorum (cf. Breysig. edit. p. 220, 5 sqq.). Sed etiam alterum Varronis fragmentum latere in eadem scholiastae Plinianorum excerptorum copia hac e locorum comparatione eluceat. Legimus:

Isid. de nat. rer. XXXVIII 2	Schol. Germ. p. 219, 22 sq.
Item Varro dicit signum esse tempestatis, dum de parte aquilonis fulget et dum de parte euri intonat.	*Cum ab aquilone fulget et ab euro intonat, tempestatem significat.*

His duobus locis re vera Isidorus pleniorem lectionem praebere videtur quam scholiasta. Sed ne his quidem Reifferscheidii sententia confirmatur, quia per se facile fieri potuit, ut illa verba post Isidorum a nescio qua manu scholiorum illorum farragini innecterentur [2]).

1) Cf. Reiffersch. l. c. p. 441.

2) Hanc opinionem Gustavus Beckerus defendit in annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 639, dicit autem totum caput XXXVIII ex Isidoro fluxisse.

Reifferscheidium minus recte iudicasse ex ipsius ratione argumentandi, quae sequitur (l. c. p. 441), concludendum est. Pergit enim postquam statuit et scholiastam et Isidorum separatim e Suetonii pratis hausisse sic: *Eodem auctore* (scil. Suetonio) *usa est Vergilianorum scholiorum recensio, quae codice Guelferbytano repraesentatur, in qua de lunae praesagiis eadem Arati et Nigidii testimonia adferuntur. Quae Isidoro vel scholiastae Germanici deberi non poteris dicere, cum ab hoc teste illorum memoria eo expleatur quod de libro Nigidi qui fuit de ventis quartus certiores nos faciat.* Censet igitur Reifferscheidius, iam apud Suetonium exstitisse illam quarti Nigidii libri *de ventis* memoriam, quam et scholiasta Germanici et Isidorus omiserit.

Sane mirum foret, si et scholiasta et Hispalensis episcopus, qui ex Reifferscheidii sententia separatim eundem fontem exhauserunt, casu hanc memoriam neglexisset. Certe, me quidem iudice, si seorsum prata inspexissent, unus alterve etiam haec verba nobis prodidisset. Qua re commotus Reifferscheidii sententia labefactata potius alterum ab altero pendere putem. Quod re vera ita sese habere praeterea argumento certo satis clare demonstratur. Liceat comparemus Isidori verba (de nat. rer. III 4) cum scholiastae p. 228, 15 sqq.

Isid. de nat. rer. III 4	Schol. Germ. p. 228, 15 sqq.
Proinde autem gentiles ex his septem planetis nomina diebus dederunt eo quod per eosdem aliquid sibi effici existimarunt dicentes habere ex sole spiritum, ex luna corpus, ex Mercurio linguam et sapientiam, ex Venere voluptatem, ex Marte fervorem, ex Iove temperantiam, ex Saturno tarditatem. Talis quippe gentilibus extitit stultitia, qui sibi finxerunt tam ridiculosa figmenta.	*Restat ut quid de his* (scil. planetis) *gentilium ridiculosissima vanitas senserit explicemus. Saturnum namque a quo se tarditatem accipere opinabantur Phaethonta ... esse dixerunt ...; stellam Iovis a qua se accipere temperantiam autumabant, dixerunt quendam hominem fuisse; ... Martis autem stella ... Veneris sequax ab illis fuisse putabatur ... a qua etiam se fervorem accipere credebant. Veneris vero stellam ... dixerunt fuisse Hesperum .. ab hac enim stella se voluptatem accipere profitebantur. Porro Mercurii stella a qua se linguam et sapientiam percipere arbitrabantur ...*

Imprimis ea re quod et scholiasta et Isidorus gentilium esse dicit sibi fingere homines a planetis varia dona accipere et quod eorum figmenta vel vanitates ridiculosas appellant, alterum ex altero hausisse pro explorato habeo. Nam non habemus, cur tertium communem fontem quaeramus [1]. Cum autem duobus locis alterum ab altero pendere viderimus, etiam ceteris aliter rem se non habere optimo iure statuere mihi videor. Sed quaeritur nunc, quis tandem fuerit, qui alterum expressit. Iam optimo iure ipse Reifferscheidius demonstravit scholiastae verba Isidori aetatem superare [2]. Scribit enim [3]: *nam non scholiastam Isidori origines exscripsisse eo quod plura habeat declaratur,* et quattuor paginis ante ita disserit reiciens Breysigii opinionem iam supra commemoratam: *Nam primum Italam, ut breviter dicam, scholiorum recensionem non ita recentioris originis esse excerpto Pliniano evincitur, cuius scriptura Silligio iudice praef. p. XLI nostris Plini codicibus longe purior sit. Deinde in nonnullis eorum locis qui et apud Isidorum et in scholiis leguntur, scholiastam interdum pleniore fonte usum esse manifestum est. Sic p. 109 cf. p. 108* [4]) *de cursu solis et lunae disserens etiam horarum numerum addit, quem Isidorus c. XIX 1, qui ceteroquin cum eo congruit, omisit.* At re vera, cum accurate locos Isidori libelli de natura rerum etymologiarumque et scholiastae inter se respondentes perscrutarer et in eos inquirerem, nulla Hispalensis episcopi memoria mihi occurrit, quam pleniorem lectionem praebere clare demonstrari potuerit. Contra saepissime — ut pauca exempla afferam: schol. p. 194 et Isid. etymol. III 49, 1; schol. p. 149, 14 et Isid. de nat. rer. XXVI 6 (Etymol. III 71, 13); schol. p. 182, 12 et Isid. de nat. rer. XXIII 3 — ille plura praebet.

1) Quam falso ceterum Reifferscheidius iudicaverit, qui hunc locum e Suetonio sumptum esse censuit (cf. fragm. 117**), ex ipsis verbis elucet.
2) Reiffersch. l. c. p. 443 sqq.
3) Reiffersch. l. c. p. 444.
4) Reifferscheidius et Beckerus scholiastae editione usi sunt Buhliana. In Breysigii editione cf. p. 197, 1 sqq.

Sed iam me reprehendentium voces audire mihi videor et dicentium satis perspicue ex Isidori de natura rerum libri capitis XXXVIII prima et secunda paragrapho elucere, hunc auctorem et Suetonii et Varronis nominibus ipsis allatis pleniorem lectionem praebere. Talibus verbis aures non praebeam, cum ipsis illis locis offendar, nec eis multum tribuendum esse censeam. Quod ut melius illustretur locos ipsos inter se comparari iubeo:

Isid. de nat. rer. XXXVIII 1	Schol. Germ. p. 220, 5 sqq.
Signa autem tempestatum navigantibus Tranquillus in pratis [nomen libri] sic dicit: Mutatio tempestatis exspectanda est in asperius, cum in nocturna navigatione scintillat ad remos et ad gubernacula aqua. In austrum venti mutatio est .... quia exiliunt.	*cum in nocturna navigatione aqua ad remos et ad gubernacula scintillat. Auster imminet cum ... quia exiliunt, ceteri in ima gurgitis descendunt.*

Vides scholiastae fragmentum satis corruptum plane omni sano sensu carere. Cum autem certum sit aliquando etiam scholiastae verba incorrupta exstitisse, iam Breysigius[1]) huic fragmento Isidori verba proposuit *mutatio tempestatis exspectanda est in asperius.* Sed hoc qui fecit, cur idem non etiam cetera addidit *signa autem tempestatis ... sic dicit*?

Minime audacis hominis est suspicari Isidorum, quem nusquam meliorem lectionem praebere intelleximus, etiam hic aliquando non pleniora praebuisse, sed cum scholiastam excerperet omnia illa scholiastae verba nondum invenisse temporum iniquitate corrupta et deleta. Similiter atque hic mea quidem sententia iudicandum est de sequenti Varronis fragmento, iam supra allato. Exstant, ut iterum repetam, haec verba:

Isid. de nat. rer. XXXVIII 2	Schol. Germ. p. 219, 22 sq.
Item Varro dicit signum esse tempestatis dum de parte aquilonis fulget et dum de parte euri intonat.	*cum ab aquilone fulget et ab euro intonat tempestatem significat.*

Etiam hoc Isidori fragmentum plenius videbitur. Sed iterum verba scholiastae mutilata et depravata esse censeo. Leguntur

1) Cf. Breys. Germanici Caesar. Arat. edit. p. 220.

enim in excerpto Pliniano, sed apud Plinium inveniri non possunt[1]). Hoc Plinianum excerptum a scholiasta confectum meliorem lectionem praebere mihi persuadere non possum, cum, quamquam per se fieri potuit, tamen careat omni probabilitate, omnibus in Plinii codicibus illa verba periisse. Multo simplicius est suspicari hanc memoriam Plinii excerpto illatam esse. Rem autem ita sese habere conicere audeo: Isidorus, cum commentarium scholiastae exscriberet, Varronis nomen intactum et illis verbis praepositum invenit et haec verba in suum usum vertit[2]). Tum autem, cum Varronis nomen apud scholiastam nescio quo casu deperiisset aeque atque initium Suetoniani fragmenti, librarius scholiastae Varronis verba Plinianis immiscuit illis, ubi paene eadem tractabantur. Quos locos, si ita interpretemur — nec profecto habemus, cur his duobus fragmentis depravatis commoti a nostra de ratione inter scholiastam et Isidorum opinione satis claris exemplis probata aberremus — etiam hic Isidorum e scholiasta excerpere potuisse consentaneum est.

Denique ipsius libri de natura rerum loco nisus Isidorum scholiastam adiisse cum nonnullis doctis pro certo habeo. Legitur enim (de nat. rer. XVII 1): *dicunt antiqui Aratus et Hyginus solem per se ipsum moveri.* Cum haec verba legerem, ita primo intellexi quasi Isidorus diceret Hyginum suam doctrinam hic ex Arato sumpsisse. Sed mox mutavi meam sententiam. Nam si res ita sese haberet, necesse esset nomen Arati hoc loco apud Hyginum inveniri, cum minime veri sit simile Isidorum Graecum illum scriptorem legisse. Sed nullum illius nominis apud Hyginum invenitur vestigium. Nec ullo argumento probari potest, Hispalensem episcopum, ut vult Reifferscheidius (l. c. p. 443), ipsum Aratum latinum, cui Hygini astronomia fabularis adscripta fuerit, cognovisse et excerpsisse, ubi ceteroquin haec verba omnino non leguntur[3]). Iam G. Beckerus[4]) sagacissime suspicatus est, sub Arati

1) Cf. Plin. H. N. XVIII 354.

2) Interdum Plinianis verbis memorias aliorum scriptorum additas esse, Suetonii verbis supra commemoratis confirmatur.

3) Etiam Ernestus Maassius hanc Reifferscheidii sententiam falsam refellere videtur in commentar. in Arat. reliquiar. edit. Berol. 1898 ubi in adnotatione p. XLIII haec scribit: *De Arato latino Aug. Reifferscheid in Suetonii reliquiis* (p. 443 sqq.) *aut falsa affirmavit aut tam incerta, ut certare adversus eum noluerim.*

4) G. Becker: Isid. edit. p. XI.

nomine hic latere nomen ipsius scholiastae Germanici, qui re vera eadem verba praebet (p. 193, 5). Cui viro plane assentior cum Buntio, qui in Hygini 'astronomiae' editione p. 8 sic adnotans scribit: '*Dicunt antiqui Aratus et Hyginus solem per se . . . uno loco manentem*'. *quo loco Isidorus non Aratum ipsum, sed Arati scholiasten latinum designare videtur, ut recte censet Becker l. c.* Quae cum ita sint, adepti sumus testimonium, quo ea, quae de ratione inter scholiastam et Isidorum iam aliis e causis evicimus, satis clare confirmantur. Pro certo igitur dici potest scholiastam in numero fontium ab Isidoro adhibitorum ponendum esse. Quibus absolutis restat, ut locos a Beckero iam conquisitos, a Reifferscheidio probatos, afferamus, quibus evicimus Isidorum scholiastam excerpsisse, exploratosque, si poterimus, novis necdum inventis suppleamus. Illis testibus utriusque scriptoris loci communi vinclo inter se conexi sunt hi[1]):

Isid. de nat. rer.	Schol. Germ.
XV 2 *quidam . . . accipere*	p. 194, 4 *cuius ignem . . accipere*
XVII 1 *solem . . non cum mundo verti*	p. 193, 5 *solem . non cum mundo verti*
XVIII 1 *alii namque . . . alteram obscuram*	p. 197, 9 *hanc enim . formas efficere*
XIX 1 *terris autem . . . percurrit*	p. 197, 1 *luna terris vicinior . . . percurrit*
XX 1 *haec ergo . qua sol vehitur pervenit*	p. 194, 7 *hic autem . . . qua sol vehitur pervenit*
XXI 1 *luna . . . luminis*	p. 198, 6 *unde defectum . . intervenial*
XXVI 6 *Pliades . . . appellant*	p. 149, 14 *quas Graeci . Pliadas . . vocant*
XXVI 8 *unde etiam . luce terribile*	p. 163, 11 *hunc Latini . . . innuit imminere*
XXXVIII 2 *Nigidius . certissimus auctor*	p. 201, 15 *Nigidius . . . certissimus auctor*
XXXVIII 4, 5 *Item idem Vergilius . . . ventum significare*	p. 194, 11 *Vergilius namque . . . ventum significat.*

1) Omisi eos locos enumerare quibus illos doctos erravisse persuasum habui.

Praeterea mea quidem sententia haec Isidori verba ex eodem fonte fluxere, quae nunc afferre et cum scholiastae contextu comparare mihi proposui.

Isid. de nat. rer. XXIII 3	Schol. Germ. p. 182, 12
Haec autem sidera errantia appellantur, non quod ipsa errent, sed quod nos errare faciant, quae sidera Graece planetae dicuntur[1]).	*Cum sole et luna septem astra numerantur, quae non sunt fixa in caelo ut cetera sidera, sed in aere feruntur, quae Graece planetae, latine autem errantia sidera nuncupantur, non quod ipsa errent, quae cursus suos secundum divini imperii dispensationem peragunt, sed quod nos errare in sui motus investigatione faciunt.*

Deinde etymologiis adiuvantibus has Hispalensis episcopi memorias ad scholiastam revocari posse e locorum comparatione appareat:

Isid. de nat. rer. XXVI 8	Isid. Etymol. III 71, 10	Schol. Germ. p. 162, 20 sqq.
Hi quippe Oriones in ipso pondere temporis hiemalis exoriuntur suoque ortu imbres et tempestates excitant et maria terrasque perturbant.	*Orion astrum ante Tauri vestigia fulget et dictus Orion ab urina, id est ab inundatione aquarum. Tempore enim hiemis obortus mare et terras aquis et tempestatibus turbat.*	*Orion qui et iugula dicitur, ante tauri vestigia fulget et dictus Orion ab urina id est ab inundatione aquarum. Tempore enim hiemis obortus mare et terras aquis ac tempestatibus turbat.*

Unusquisque facile intelleget, verba libelli qui est de natura rerum ad eundem fontem spectare atque etymologiarum, quia, etsi paucis mutatis eadem eisdem fere vocabulis praebentur. Ety-

1) Reiffersch. hunc Isidori locum in numero Suetonii fragmentorum posuit (cf. fragm. 139* p. 216). Vides quam non recte. Sed etiam scholiastam haec e Suetonio haurire non potuisse ex eius verbis ipsis *quae cursus suos secundum divini imperii dispensationem peragunt* elucet, quae plane colorem Christianum prae se ferunt.

mologiarum autem hunc locum e scholiasta fluxisse consentaneum est. Itaque cum et etymologiae et liber de natura rerum ad fontes ipsos spectent, hanc huius memoriam ex eodem auctore [1]) petitam esse constat [2]). Eodem modo iudicandum est de locis hisce:

Isid. de nat. rer. XXVI 14	Etymol. III 71, 14	Schol. Germ. p. 166, 23
Haec (scil. Sirius stella) *oriens mundum ardore nimio caloris incendit et aestu suo fructus exurit, interdum et morbo adficit corpora corrumpens aerem flagrantia ignis. Ab hac enim dies caniculares nominantur, quoniam hi plus flagrant ardoribus quam totius aestatis tempus.*	*Canicula stella quae et Sirius dicitur, aestivis mensibus in medio centro coeli est, et dum sol ad eam ascenderit, coniuncta cum sole, duplicatur calor ipsius et dissolvuntur corpora et vaporantur. Unde et ex ipsa stella dies caniculares dicuntur, quando et molestae sunt purgationes.*	*Sirius stella est in medio centro caeli, ad quam cum sol ascenderit, duplicatur calor ipsius et languore afficiuntur corpora humana. Sirium illam vocatam putant propter flammae candorem, Latini autem illam caniculam vocant, unde et dies caniculares dicuntur, quia, sol quamdiu in ipsa est, pestifera est.*

Isidorum in libro de natura rerum componendo eodem excerpto usum esse, quo in etymologiis conscribendis, cum ex utriusque loci similitudine haud exigua elucet, tum apertum fit ex eo, quod Hispalensis episcopus memoriam *Sirium illam vocatam . . . caniculam vocant* fonti communi innexam omittit in utroque scripto [3]). Restat, ut illam quaestionem disceptem, utrum scholiasta e Suetonio hauserit necne. Hoc, ut paucis dicam, nullo argumento et nullo loco, quos omnes accuratissime perpensitavi, probari potest, nisi illa scholiastae memoria (p. 220, 5 sqq.), quae initio Isidoriani capitis XXXVIII libri de natura rerum respondet. Sed valde esset audacis hominis, ex hoc uno loco concludere, etiam ceteris, quorum

1) Dicere nolo Isidorum in libro de nat. rer. componendo scholiastam ipsum inspexisse, sed potius excerptum ex huius commentario factum.

2) Reiffersch. haec Isidori verba Suetonio tribuit cf. fragm. 142* p. 221.

3) Etiam haec verba Reiffersch. Suetonio tribuit cf. fragm. 142* p. 222.

fontes nescimus, Suetonium expressum esse, praesertim cum illa Suetoniana memoria posteriore aetate — sed mea quidem sententia ante Isidorum — a nescio qua manu in scholiastae contextu posita esse possit. Similiter iam Beckerus de hac re iudicat hisce verbis [1]): *Keine Stelle ausser dem schon besprochenen 38n Kap. widerspricht der Priorität des Schol.* (!!) — *und hier ist die Annahme eines späteren Zusatzes im Schol. auch nicht zu künstlich bei derartigen Handbüchern.*

Quae omnia cum ita sint, sequi non possumus Reifferscheidium nec tribuimus Isidori illos tredecim locos, quos supra attulimus e scholiasta ipso exhaustos, Suetonio Tranquillo. — His rebus absolutis iam altera quaestio erit pertractanda satis magni momenti, qua disceptetur quae gentilium opera in Isidori fontium numero poni possint et quatenus ex his doctrinam suam ille expresserit.

§ 6. Quos et quatenus Isidorus gentilium scriptores adierit praeter Suetonium.

a) De Hygino Isidori auctore.

Gentilium opera se non neglexisse, sed nonnulla pretiosa frustula ex eorum scriptis expressisse Isidorus ipse fatetur huius in libelli praefatione. Ibi ipse scribit [2]): *dehinc cetera de quibus opinari quosdam gentiles vel ecclesiasticos viros novimus, persequamur eorum in quibusdam causis et sensus et verba ponentes, ut ipsorum auctoritas dictorum fidem efficiat.* Itaque horum gentilium libri quibus usus Isidorus opusculum composuerit nunc investigandi et examinandi erunt. Summa auctoritate valuit apud Isidorum Hyginus mythographus qui dicitur, cuius opusculum vulgo 'C. Iulii Hygini astronomicon poeticon' inscriptum saepissime et imprimis in astronomica sui libelli parte (intellegi volo cc. IX—XXVI) expilavit, modo nomine auctoris allato modo neglecto. De ratione autem qua Isidorus usus hunc auctorem excerpserit, H. Dresselius [3]) sic scribit: *Hygini libris Isidorum usum esse non paucis exemplis comprobari potest, quamquam in exscribendo ita*

1) G. Becker: Annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 641.

2) Cf. G. Becker: Isid. edit. p. 2.

3) H. Dressel l. c. p. 50.

plerumque versatus est, ut immutatis quibusdam Hyginus auctor non semper appareat. Quod vero haud scio an inde sit explicandum, quod non eundem quem nos habemus Hyginum Isidorus adhibuerit: neque tamen integrum dico, sed magis coartatum quam qui ad nos pervenit. Sed hae utriusque scriptoris verborum differentiae, quae ne magnae quidem sunt, utrum positae sint in illa causa a Dresselio arcessita an potius in Isidori ratione indiligenter describendi, valde dubitari potest. Utut res sese habet — nec ullius momenti est hanc quaestionem expedire, si omnino umquam expediri potest — nobis sufficiat Hygini astronomiam saepe ab Isidoro adhibitam esse. Hoc primus accurate exposuit G. Beckerus, qui optime praeter eos locos ubi Hygini nomen ipsum affertur multa huius scriptoris vestigia ex Isidoriano contextu elicuit [1]). Post Beckerum Reifferscheidius iterum hanc quaestionem pertractavit, qui nonnulla Beckeri disquisitioni addidit, quae hunc fugerant. Et miro modo eos Hygini locos Isidoriano contextui respondentes, quos ceteroquin satis habuit in adnotationibus singulis fragmentis adiectis indicasse, non tribuit Hygino, sed potius Suetonio Tranquillo, quamquam loci illi, quos investigavit, Hygini verbis saepe multo sunt similiores quam a Beckero prolati, quibus assentitur. Vides quam libere Reifferscheidius egerit in Isidori fontibus eruendis. Ipse postea, ne nimis graviter de Reifferscheidio iudicare videar, Hygini testimonia ab illo indicata cum Isidorianis verbis comparabo, ut omnes ipsi de hac quaestione iudicare possint. Antea autem, ne quid omittam, eos afferam Isidori locos, quos Beckerus et Reifferscheidius iam illi veteri scriptori adiudicaverunt. Expressit Isidorus Hygini astronomiam, quam altero p. Chr. n. saeculo scriptam esse veri est simillimum [2]), locis hisce:

Isid. de nat. rer.	Hygin. astron. [3])
IV 1 *mensem autem ... perducit*	IV 19 p. 120 *mensem autem ... perducat*
XII 3 *cacumina ... dictus est*	I 3 p. 23 *huius autem cacumina ... est dictus*

1) G. Becker: Isid. de nat. rer. libr. edit. proleg. p. XII.

2) De hoc scripto et scriptoris ipsius aetate nuperrime egregie tractavit M. Schanzius in Hist. litt. Rom. VIII. II 1² p. 333 sqq.

3) Semper inspexi Buntii editionem in 'astronomiae' locis enumerandis.

Isid. de nat. rer.	Hygin. astron.
XVI 3 *lunam autem ... futurum*	IV 14 p. 118 *hinc etiam ... futurum*
XVII 1, 2 *solem per se ... per se moveri*	IV 13 p. 112 *necesse est ... non stare*
XVIII 4 *si enim ... eclipsis fieret*	IV 14 p. 115 *si enim ... videri*
XIX 1 *lunam per alios ... quam stare*	IV 14 p. 115 *lunam per alios ... quam moveri*
XX 1, 2 *solem sapientes ... transmittit*	IV 14 p. 115 *luna enim ... adicit*
XXI 1 *quia ea demensione ... perveniant*	IV 14 p. 116 *lunae autem .... eclipsis lunae*
XXII 1 *stellae quidem ... vagae feruntur*	IV 8 p 106 *igitur cum ... permanere*
XXVI 5 *hanc spectant ... noscunt*	II 2 p. 33 *et illi ... navigare dicuntur*
XXVIII 2 *cum recedente die ... separatur*	IV 9 p. 106 *etsi nonnulli ... noctem videri*
XLVIII 1 *terra ... appellatur*	I 8 p. 27 *terra ... appellatur*

Horum quos attuli locorum duos Reifferscheidius cum Beckero dissentiens Hygino non tribuit, haud scio an propter utriusque scriptoris verborum nimiam discrepantiam — nam nihil certius de hac re dicit — nimirum Isid. XXII 1 et XXVI 5. Cum de priore horum Isidori locorum profecto dubitari possit, utrum ex Hygino sumptus sit necne, in altero iudicando Reifferscheidium minus recte fecisse postea videbimus.

Sed iam properemus ad eos locos comparandos, quos partim Reiffersch. investigavit partim ipse enucleavi. Atque primum quidem totum Isidori libri de natura rerum caput X ex illo auctore [1]) fluxisse docere conabor, exceptis Vergilii et Varronis versibus, quos de suo episcopus adiecit. Ad hanc autem rem explicandam liceat prius alteram huius capitis partem pertractare, quia hic res est multo evidentior. Exstant enim apud utrumque scriptorem verba haec:

1) Omnia huius capitis verba Reifferscheidius Suetonio tribuit cf. l. c. fragm. 125*.

Isid. de nat. rer. X 3 sqq.
Sed ideo aequinoctialis circulus inhabitabilis est, quia sol per medium caelum currens nimium his locis facit fervorem, ita ut nec fruges ibi nascantur propter exustam terram nec homines propter nimium ardorem habitare permittantur. At contra septemtrionalis et australis circuli sibi coniuncti idcirco non habitantur, quia a cursu solis longe positi sunt nimioque caeli rigore ventorumque gelidis flatibus contabescunt. Solstitialis vero circulus, qui in oriente inter septentrionalem et aestivum est conlocatus, vel iste qui in occidente inter aestivum et australem positus est, ideo temperati sunt eo quod ex uno circulo rigorem, ex altero calorem habeant. . . . Sed qui proximi sunt aestivo circulo, ipsi sunt Aethiopes nimio calore perusti.

Hygin. astron. I 8 p. 27 sq.
Sol enim per mediam regionem sphaerae currens nimium his locis efficit fervorem. itaque quae finis est ab aestivo circulo ad hiemalem, ea terra a Graecis διακεκαυμένη vocatur, quod neque fruges propter exustam terram nasci, neque homines propter nimium ardorem durare possunt. Extremae autem regiones sphaerae duorum circulorum, quorum alter boreus, alter notius vocatur . . , non habitantur ideo quod sol ab his circulis semper abest longe ventique assiduos habent flatus. . . .
Habitatur autem sic temperatissimo caelo, cum inter aestivum circulum et arcticum finem haec proveniat temperatio; quod ab arctico circulo frigus, ab aestivo fervor exortus in unum concurrens efficit mediam finem temperatam, quae habitari possit. . . . Qui autem proximi sunt aestivo circulo, eos Aethiopas et perusto corpore esse.

Tali utriusque loci et sensus et verborum concentu facere non possum, quin arbitrer arto vinclo hos locos inter se esse vinctos. Haec autem affinitas optime eo explicatur, quod etiam hic Isidorum Hygini auctoritatem secutum esse putamus, quamquam ille, qua est in describendo licentia, interdum mutavit verba auctoris et valde depravavit. Nunc vero his absolutis iam primae huius capitis partis originem Hyginianam ex Isidori verbis in brevius coactis et ad arbitrium mutatis elicere et statuere conabor. Ad hanc rem explicandam ad etymologiarum verba illis

respondentibus erit fugiendum. Hic enim (etymol. III 44 et XIII 6), ubi de eisdem quaestionibus, nimirum de quinque circulis caeli enumerandis, disseritur atque illic, ad verba paene Hispalensis episcopus Hyginum auctorem (Hygin. astron. I 6 p. 24) exscribit. Cum autem utriusque Isidoriani scripti verba sui similia sint — nam in libro de natura rerum quamquam multa decurtata mutataque sunt, tamen plane idem sensus praebetur et varii mundi circuli eisdem graecis nominibus eodemque ordine enumerantur nisi duobus ultimis permutatis —, pro certo dicere audeam, etiam hanc huius capitis partem ex Hygino fluxisse. Sed re vera me recte vidisse praeterea argumento quod vix infringas confirmatur et comprobatur. Congruunt enim prima huius Isidori loci verba tantopere cum Hyginianis, ut omnis tollatur dubitatio, quin ab Isidoro ex illo scriptore sint petita. Nam exstant apud utrumque scriptorem haec:

Isid. de nat. rer. X 1	Hygin. astron. I 6 p. 24
In definitione autem mundi circuli aiunt philosophi quinque.	*In finitione mundi circuli sunt paralleli quinque.*

Qua e re elucet Isidorum hoc Hygini caput novisse et ante oculos habuisse. Quae cum ita sint, non est audacis hominis putare etiam sequentia huius primae paragraphi Hyginianorum verborum valde similia ad eundem auctorem spectare. Iam ne diutius hoc in capite pertractando versemur, alii Isidori et Hygini loci communes erunt investigandi. Atque primum quidem comparare liceat Isid. de nat. rer. XXVI 5 et Hygin. astron. II 2 p. 33. Iam G. Beckerus[1]) hoc Isid. capite perlustrato quintae paragraphi partem ex Hygino sumptam esse arbitratus eius verba in adnotationibus posuit, ut cum illis comparari possint. Perspicuitatis causa utramque memoriam afferam:

Isid. de nat. rer. XXVI 5	Hygin. astron. II 2 p. 33
Hanc (Booten) *spectant praecipue qui navigare noscunt.*	*Et illi qui hanc observant, verius et diligentius navigare dicuntur.*

Erunt fortasse, qui subdubitent de huius Isidori loci origine Hyginiana propter nimiam verborum dissimilitudinem, consentientes cum Reifferscheidio, qui sine ulla dubitatione eadem

1) G. Becker: Isid. edit. p. 49 adnot. ad § 5.

de causa illa Hygino non tribuit sed potius — Suetonio[1]) quasi auctori multo certiori. Hoc autem eum audacter fecisse plerique mecum consentient omnibus certis vel verisimilibus argumentis ad eius sententiam confirmandam deficientibus. Mea quidem sententia iterum Beckerus, qui ceteroquin saepe rectius et verius quam ille iudicavit, ne hic quidem errasse videtur. Nam non solum haec, sed etiam antecedentia verba ad Hyginum spectare suspicor. Exstant enim hi loci:

Isid. de nat. rer. XXVI 5	Hygin. astron. II 2 p. 32, 33
Bootes stella est quae plaustrum — id est septentrionem — sequitur, qui etiam ab antiquis arctophylax dicitur sive minor arctos, unde et quidam eam septemtrionem dixerunt.	*Itaque et ille, qui antea plaustrum sequens Bootes appellabatur, arctophylax est dictus . . . Incidit etiam compluribus erratio, quibus de causis minor arctos . . appelletur.*

Itaque cum haec verba ex Hygino videantur sumpta, sequentia autem Hygini verborum sint similia, non dubito etiam haec illi veteri scriptori reddere, quae Reifferscheidius Beckero invito ab illo abiudicavit. Sed non solum in hac, verum etiam in sequenti paragrapho Hispalensis excerptor Hygini auctoritatem sequitur. Comparentur haec verba:

Isid. de nat. rer. XXVI 6	Hygin. astron. II 21 p. 63
Nam et ipsae (scil. Pliades) *septem esse dicuntur, sed amplius quam sex nullus conspicere potest.*	*Hae numero septem dicuntur, sed nemo amplius VI potest videre.*

Et Beckerum et Reifferscheidium talis utriusque scriptoris horum verborum consensus fugit, quo unde Isidorus doctrinam suam sumpserit, omnis tollitur dubitatio[2]). Hoc in capite XXVI bis insuper Isidorum Hyginum exscripsisse (cf. Isid. XXVI 6 *has Latini ... traditum signis* = Hygin. astron. II 21 p. 64 *eas stellas . . . traditum signis* et Isid. de nat. rer. XXVI 14 *Sirius . . . lucere videatur* = Hygin. astron. II 35 p. 74 *causis quam . . . lucere videatur*) iam tum, cum de ratione etymologiarum et huius libelli loqueremur, illis locis comparandis satis perspicue ex-

1) Reiffersch. l. c. fragm. 142*.

2) Reiffersch. haec Isidori verba Suetonii esse censet cf. fragm. 142 p. 220.

planavimus, refutantes Reifferscheidii sententiam, qui omnia haec verba Tranquillo deberi contendit[1]).

Deinde alio Isidori loco, e quo perfacile etymologiis adiuvantibus auctoritas Hygini confirmari potest, Reifferscheidius in eundem errorem illius verba Suetonio tribuendi incidit[2]). Quae res ut melius perspiciatur ipsorum scriptorum verba afferre mihi liceat:

Isid. de nat. rer. XII 4	Isid. Etymol. III 32, 1	Hygin. astron. I 1 p. 22
Sphaeram autem confirmant nec principium habere nec terminum pro eo quod rotunditate sui quasi circulus unde incipiat vel ubi desinat non facile comprehendatur.	*Sphaera coeli est species quaedam in rotundum formata, cuius centrum terra est ex omnibus partibus aequaliter conclusa. Hanc sphaeram nec principium habere dicunt, nec terminum, ideo quod in rotundum quasi circulus, unde incipiat vel ubi desinat, non facile comprehenditur.*	*Sphaera est species quaedam in rotundo conformata omnibus ex partibus aequalis apparens.... Huius autem neque exitus neque initium potest definiri, ideo quod in rotundo omnes tractus et initia et exitus significare possunt.*

Etymologiarum hanc memoriam ex Hygino expressam esse constat[3]), etsi fatendum est nonnulla ab episcopo iam in excerpto conficiendo mutata esse, quod imprimis ex utriusque loci fine elucet, ubi arbitrio Hygini verba Isidorus in suum usum vertit[4]).

1) Cf. Reiffersch. l. c. fragm. 142* p. 220, 221, 222.

2) Reiffersch. l. c. fragm. 127* p. 202, 203.

3) Praeter utriusque loci initium velim conferas Isidori verba: *hanc sphaeram nec principium habere dicunt nec terminum, ideo quod in rotundum* . . . cum Hyginianis: *huius sphaerae autem neque exitus neque initium potest definiri, ideo quod* . . . et statim etiam hic alterum locum ab altero pendere tibi persuadebis.

4) Quod attinet ad etymologiarum verba: *cuius centrum terra est*, quae desunt apud Hyginum quaeque Isidori non esse videntur, ex alio Hygini loco sumpta esse coniecerim. Cf. Hygin. astron. I 8 p. 27 ubi est: *Terra mundi media regione collocata omnibus partibus aequali dissidens intervallo centron optinet sphaerae.*

Libelli autem de natura rerum verba tam accurate cum etymologiis consentiunt, ut ea ex eodem excerpto fluxisse ideoque ad eundem auctorem, id est Hyginum, spectare necesse sit. Sed pergo in Hyginianis locis apud Isidorum investigandis detegendisque. In noctis definitione legimus apud Isidorum et Hyginum haec:

Isid. de nat. rer. II 1	Hygin. astron. IV 19 p. 120
Nox est solis absentia, quamdiu ab occasu rursum ad exortum recurrat.	*Noctis autem spatium constituerunt esse quamdiu sol ab occasu rursum ad exortum revertatur.*

Tantam verborum convenientiam casu evenisse quis est qui dicat? Omnes rationem quandam inter hos locos intercedere concedent. Itaque, quid obstat, quominus putemus Isidorum etiam haec ex illo libro hausisse, e quo iam tam multa et toties excerpsit? Verba *nox est solis absentia* quin ipse perfacile adponere potuerit, dubitari non potest. Sed alia restat ratiocinatio. Etenim, si nobis contingat demonstrare etiam in diei definitione Hispalensem episcopum eadem vel saltem similia praebere atque Hyginum, certam ansam habeamus horum verborum originis Hyginianae demonstrandae; nam duobus locis fortuito utrumque scriptorem temporis definitionem paene eisdem verbis statuisse minime veri est simile. At re vera etiam in die definiendo talis et Isidori et Hygini verborum consensus nobis occurrit, ut dubium esse non possit, quin ille ab hoc pendeat. Locos ipsos inter se comparabo:

Isid. de nat. rer. I 1	Hygin. astron. IV 19 p. 120
Dies est solis orientis praesentia, quousque ad occasum perveniat.	*Diem nobis definierunt, quamdiu sol ab exortu ad occasum perveniat.*

Quae cum ita sint, sine dubio mea quidem sententia eo adducimur, ut etiam hos duos de diei et noctis tempore definiendo locos Hygino [1]) tribuamus Isidori auctori.

Quibus Isidori locis, quos ad Hyginum spectare nobis persuasimus, enumeratis et illustratis iam paucis de illius ipsius fontibus erit disserendum, ne quis mihi opponat Isidorum quidem sua deprompsisse ex Hygino, hunc autem pendere a Suetonio, ut minime erraverit Reifferscheidius, cum Isidori multas sententias cum Hygino communes Tranquillo tribueret. Sed si res

1) Contra Reiffersch. illa Suetonii esse censet. Cf. l. c. fragm. 113* et 116*.

re vera ita sese haberet, Reifferscheidii fuisset omnes Isidori et Hygini locos inter se respondentes ponere in Suetonii fragmentorum numero nec nonnullos tantum nihilo excellentes. Ceterum Hyginum e Suetonio hausisse nullo argumento probari potest, cum ne id quidem satis constet, quanam aetate astronomiae auctor floruerit, utrum ante an post Suetonium. Unum tantum scimus illius 'astronomiam' ante annum p. Chr. n. CCVII confectam esse, quod hoc anno huius libelli partes quasdam in Graecum sermonem versas esse constat [1]).

Omnes quos ipse Hyginus nominat auctores, Buntius summa diligentia contulit in editionis prolegomenis a pag. III usque ad pag. VI, ubi 'sed utrum', scribit, 'Hyginus omnes scriptores, quorum meminit, ipse legerit, necne, difficile est dictu; verisimile tamen est eum in excitandis scriptoribus saepius ad Scholiastas graecos confugisse'.

Ceterorum doctorum opiniones de huius veteris scriptoris libelli fontibus Martinus Schanzius composuit in Hist. litt. Rom. VIII. II 1 p. 333, ut amplius de hac re disserere supervacaneum sit. Hoc, ut paucis dicam, certum est, Hyginum imprimis secutum esse Eratosthenis catasterismos qui dicuntur, — quos etiam scholiasta Germanici expressit —, praeterea autem Arati commentario uberrimo usum esse videri. Quae Hygini sunt, eorum pauca quaedam tribuere Suetonio omni iure caremus. — Sed nunc, ne diutius in Hygini fragmentis versemur, veniamus ad alterum scriptorem, illi auctoritate proximum, ad Servium Vergilii commentatorem, qui, num in numero Isidori auctorum habendus sit, docti inter se dissentiunt.

b) De Servio Isidori auctore.

Iam Isidori temporibus scholia ad Vergilii carmina, quae Servii nomine circumferuntur, omnibus doctis cognita fuisse quis neget? Idcirco mirum non esset, si etiam hoc opus veteris doctrinae plenum Isidorus in usum suum vocasset, praesertim cum Vergilii carminibus legendis eum non parvam operam impendisse haud ignoremus [2]). At profecto saepissime apud utrumque scriptorem

1) De hac re nuper tractavit M. Schanzius in Hist. litt. Rom. VIII. II 1 p. 333.

2) Hoc elucet ex illius poetae versibus, quos Isidorus saepissime ac libenter suo contextui innectit.

eadem vel similia inveniuntur. Hanc rem accuratissime exquisivisse Thilonis[1]) meritum est, quem optime et solum recte de illorum scriptorum ratione egisse censeo. Invenit ille vir doctus plus quam quadringentis locis eum inter utriusque libros et rerum et verborum consensum esse, ut dubitari non possit, quin Servio sua debeat Isidorus. Deinde ad suam opinionem optime confirmandam affert ineptias quasdam, ad quas, ut ipse scribit, Servii scholiis aut neglegenter inspectis aut sine iudicio adhibitis Isidorum devenisse apparere. Omnia autem haec, quae Isidorus petivit, ex breviore nec aucto Servii commentario sumpta esse satis aptis argumentis demonstrat et confirmat. Sed quattuor annis post Thilonem Nettleshipius exstitit, qui illius opinione reiecta non alterum ab altero pendere, sed utrumque ad communem fontem redire contendit[2]). Hac autem ratione argumentandi suam opinionem probari censet[3]): certum esse, ait, Isidorum saepissime Suetonii prata exhausisse, quae eadem expresserit Servius. Qua re iam per se ipsum apparere omnes Servii et Isidori locos Suetonianos communes ab utroque scriptore e fonte ipso principali sumptos esse, neque esse verisimile Isidorum ab optimo et antiquo fonte aberrantem ad Servium fugisse in Suetonianis sententiis describendis et quaesivisse quasi acum in fasce foeni.

Cui argumentationi assentiri minime possum, quod Nettleshipius nititur argumentis satis levibus et infirmis. Nam primum nihil est nisi Reifferscheidii coniectura Isidorum multa Suetonii pratis debere. Atque utrum illa pauca exempla, quae e Tranquillo venisse pro certo statuere possumus, ex ipso auctore hausta sint an re vera ex aliis scriptoribus a Suetonio pendentibus neutiquam satis constat. Deinde cur, quaeso, fieri non potuit, ut Isidorus, cum Servii commentarium, opus illud etymologiis litterarum varietate simillimum excerperet, etiam ex eo exprimeret nonnullos locos scriptorum satis cognitorum? Hercle non erat Isidorus is, qui rediret semper ad locorum fontes principales.

Etiam exempla, quae deinde Nettleshipius affert, quibus ostendi vult saepius Isidori contextum Servianis verbis alium

1) G. Thilo: Servii Grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii Lips. 1881 praef. p. XXXVIII.
2) Nettleship: 'Lectures and essays' Oxford 1885 p. 322 sqq.
3) Nettleship l. c. p. 330.

tenorem vel uberiorem lectionem praebere, mihi non persuaserunt, ut ad eius sententiam accederem. Nam primum satis notum est, Hispalensem excerptorem auctorum verbis amplificandis vel decurtandis perfacile alium tenorem efficere potuisse, deinde quis neget illic, ubi nonnulla a verbis auctoris aliena leguntur, Isidorum summum omnium qui umquam floruere compilatorem, aliunde petita cum illis conglutinare potuisse? Nec ullo modo probari potest omnes illos locos Servio et Isidoro communes, qui certe ad diversissimos scriptores spectant, et ab illo commentatore et ab episcopo ex eis fontibus ipsis petitos esse. Accedit quod Isidorus Vergilii versibus, quos de nat. rer. XXV 2 affert, Servii scholium illis re vera respondens praeponit, quod casu factum esse non putabis. Multo veri est similius Hispalensem episcopum hoc scholium e Servii commentario exscriptum ipsis Vergilii versibus respondentibus explicasse et illustrasse.

Quae omnia cum ita sint, illa quadringenta exempla ab Isidoro e breviore Servii commentario sumpta esse cum Thilone persuasum habeo. Etiam Fridericus Bluhme illi Nettleshipii disputationi non magnam vim tribuere videtur nam his utitur verbis[1]): *hunc autem Servii indicem* (cf. Serv. ad Aen. V 738), *quem Isidorus in orig. V 30, 3 sq. exscripsit a Lydo non adhibitum esse e comparatione elucet.* Sed nunc postquam vidimus Servium re vera ab Isidoro in etymologiis conscribendis — nam has tantum Thilo cum Servii commentario comparavit — tam saepe adhibitum esse, expediamus quatenus in libro de natura rerum episcopus illum respexerit. Iam Beckerus in Isidori libelli editionis adnotationibus eos Servii locos posuit, quos vinclo quodam — ipse nil certius de hac ratione dicit[2]) — cum Isidori verbis conexos esse suspicatus est. Nunc etiam hos ab eo descriptos esse constat. Paucis a me reiectis in quibus Beckerum illic erravisse viderem, hi loci, ut omnes complectar, restant:

1) Fr. Bluhme l. c. p. 117.
2) Etiam Reifferscheidius hanc quaestionem paene intactam reliquit, omnes a Beckero Isidori locos cum Servianis memoriis comparatos Suetonio tribuens. Nil de ratione inter Servium et Isidorum dicit nisi haec (l. c. p. 475): *eodem fere tempore* (in antecedentibus locutus est de Hieronymo) *Servius Suetonium in suum usum convertit veluti libros ludicrae historiae et prata, quae quidem ipsa numquam nominat ut iam tum singulas pratorum partes seorsum descriptas esse conligere liceat.*

Isid. de nat. rer.	Serv.
II 1 *nox a nocendo . oculis noceat*	Aen. I 89 *nox . . . oculis noceat*
II 2 *noctis autem . . . tenebras* [1]	Aen. II 268 *sunt autem . . . dubium significat*
VI 2 *annum autem . . . diminutive*	Aen. I 269 *annus autem . . . in se redeat*
VIII 1 *solstitia duo . . . minuuntur*	Georg. I 100 *duo sunt solstitia . . . dividebantur*
XLIV 5 *litus quidquid . adluitur*	Aen. V 163 *litus . . . alluitur*
XLIV 5 *torrens fluvius . . . arescit*	Aen. II 305 *torrens . . . accepit*
XLVI 1 *inde aiunt . . . sedere*	Georg. II 479 *alii dicunt . . . concutiunt* [2]

His exemplis adiciam eos Servii et Isidori locos a Reifferscheidio in editionis adnotationibus simpliciter indicatos, a nobis novis additis auctos.

Isid. de nat. rer.	Serv.
I 2 *partes abusive diei . suprema*	Aen. II 268 *partes diei . . . occasus*
II 3 *intempesta . . . quieta sunt*	Aen. III 587 *intempesta . actu caret*
IV 3 *alii autem . . . dixerunt*	Georg. I 43 *quamquam alii . . . esse nominatos*
XXV 1 *falsa autem . . . in caelo*	Georg. I 366 *sequitur . . . stellarum*
XXXII 2 *nubes . . . velent*	Aen. XI 77 *translatio a nubibus . . . velantur*
XLIV 2 *vada . . . βραχέα*	Aen. I 111 *brevia autem . vadere*

Denique etymologiarum auxilio hi loci Isidoriani libelli Servio reddantur, quos nunc cum illis comparabo. Extant haec:

Isid. de nat. rer.	Isid. Etymol.	Serv. ad Aen.
I 2	V 30, 4	V 738
Nam Chaldaei a solis exortu diei initium faciunt . . . Aegyptii autem ex initio noctis	*Dies secundum Egyptios inchoat ab occasu solis; secundum Persas ab ortu solis; secun-*	*Hic autem dies secundum Aegyptios inchoat ab occasu solis; secundum Persas ab ortu*

1) Dubitanter hic Beckero assentior.

2) Quod Isidorus Sallustii verba pleniora praebet quam Servius, parvi est momenti, cum perfacile Isidorus ea ex auctore ipso sumpta hic inserere posset vel uteretur commentario ubi nondum erant mutilata.

Isid. de nat. rer.	Isid. Etymol.	Serv. ad Aen.
sequentis diei originem trahunt. Romani autem a medio noctis oriri diem volunt et in medio noctis finiri [1].	*dum Athenienses a sexta hora diei; secundum Romanos a media nocte.*	*solis secundum Etruscos et Athenienses a sexta hora diei, secundum Romanos a media nocte* [2].
VI 3	V 36, 3	Aen. III 284
Annus magnus dicitur quando omnia sidera certis temporibus numerisque completis ad suum locum vel ordinem revertuntur, quem annum antiqui undevicensimo [3] *anno finiri vel adimpleri dixerunt.*	. . . *aut magnus* (scil. annus) *omnibus planetis in eundem locum recurrentibus, qui fit post annos solstitiales plurimos.*	. . . *mox maiore cura annum esse magnum voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, et hic fit ut supra diximus secundum Ciceronis Hortensium post annos XII DCCCCLIV solstitiales scilicet.*

Etymologiarum verba e Servio fluxisse consentaneum est, sed etiam libri de natura rerum loci tam arte ad illa se applicant, ut facere non possimus quin putemus eas ab eodem excerpto pendere.

De Servii fontibus, ne hanc quaestionem silentio praetereamus, iam egregie egerunt imprimis J. Kirchnerus in annal. Fleckeis. vol. VIII suppl. ibi p. 469 sq. et G. Laemmerhirtius in Commentat. Philol. Ienens. vol. IV p. 313 sq.: quorum hic optime mea quidem sententia iudicavit de Suetonio Servii auctore. Enumeratis enim locis et in pratis et in aliis Tranquilli scriptis exstantibus, quos Servius recta via expilavisse viris doctis visus est, inquisivit num etiam aliis Suetonii operibus Servius sit usus atque illis, quorum illic tituli ipsi proferuntur. Atque rem ita sese habere censet (l. c. p. 373 adnot. 1): *Si locos,* ait, *mero Suetoni nomine instructos*

1) Quod hic Isidorus Atheniensium morem diei initii constituendi omisit, quem in etymologiis praebet, eo factum est, quod in antecedentibus tria tantum attulit diei initia, scil. a solis ortu, ab occasu, a media nocte.

2) In sequentibus Servius huius rei profert auctores nimirum Ciceronem et Aulum Gellium.

3) Hic Isidorus Metonis Atheniensis opinionem sequitur: cf. Censor. 'de die nat.' XVIII 8, quam nescio unde petitam in contextu ponit pro etymologiarum verbis *post annos solstitiales plurimos.*

respicimus, vix alio pratorum libro Servium usum esse conligere liceat. Qua in re statuenda plane Laemmerhirtio assentior: nam et mihi Servii commentarium satis accurate perscrutanti nullus occurrit locus, e quo iure concludi posset, commentatorem illum etiam ceteros pratorum libros in usum suum vocavisse.

Eorum autem Isidori locorum, quos e libro de natura rerum Servio tribuimus, nullus spectat ad libros Tranquilli ipsius nomine instructos. At cum praeter hos Servium vix alia illius opera inspexisse viderimus, certe nullo iure dici potest, Isidoriana verba e Servio sumpta sapere Suetonianam originem. Itaque in numero Suetonii fragmentorum ponenda non sunt.

Attamen, ne quid silentio praeteream, huic sententiae maximopere repugnare videtur, quod, ut iam supra vidimus, nonnulli loci Isidori libri de natura rerum capitis XLIV e Suetonii pratis sumpti[1]), cum Servianis ita congruunt, ut et hi ex illo Suetonii pratorum libro fluxisse videantur. Vides quam difficiles et incertae hae quaestiones sint.

Sed ne hac quidem re commoveor, ut de mea sententia decedam, cum plane incertum sit nec ullo argumento probari possit, totum illud caput e Suetonio expressum esse nec potius, ut Arevalus vult, nihil nisi verba *extremum mare . . . Italia alluitur.* — Itaque ut paucis omnia complectar, persuasum habeo Isidorum ipsum Servii commentarium inspexisse, nec ea, quae excerpsit, ad Suetonianam originem, ut vult Reifferscheidius, reduci posse. — Sed iam veniamus ad alteram quaestionem, qua disceptetur, utrum Isidorus praeter Serviana etiam alia scholia adierit, nimirum scholia Lucani, quorum nonnulla etymologiarum verbis respondent.

c) De ratione quae intercedat inter Isidori librum 'de natura rerum' et scholia Lucani.

Iam ante Isidorum Lucani commentarium exstitisse Hieronymus testis est, qui in scripto contra Rufinum[2]) eius fecit

1) G. Becker: Isid. edit. proleg. p. XVI (hic Beckerus Gronovii et Regentii sententiis nititur). Cf. Ios. Regent. 'de C. Suetonii Tranquilli vita et scriptis' Vratisl. 1856.

2) Hieron.: 'Apolog. advers. libros Rufini' I c. 16. (Migne: patrol. lat. vol. XXIII col. 410.)

mentionem. Sed ita illa scholia veteres et recentiores commentarios inter se commixtos continent, ut difficile sit dictu, quomodo illa etymologiarum et scholiorum Lucani verborum similitudo, de qua supra dixi, sit explicanda. Nam dubitari potest utrum Isidorus omnino illum commentarium, qui Hieronymi aetate exstabat, de quo certam sententiam pronuntiare non possumus, descripserit necne, et si fecit, quatenus illius rationem habuerit quaeritur. De hac quaestione imprimis egit Genthius in libello de scholiis Montepessulanis in Lucanum edito[1]) p. 3 sq., qui fieri non potuisse censet quin arbitremur re vera hausisse Isidorum ex antiquo in Lucanum commentario. Contra Henricus Dresselius[2]), etsi illius opinionis veritatem non impugnat, tamen optimo iure eius rationem argumentandi explodit, quod omnis demonstrandi vis argumentis ipsis deest. Ipse autem Dresselius, cum hanc quaestionem disceptare non audeat, rem relinquit non absolutam. Attamen fortasse operae pretium fuisset, accuratius in hanc quaestionem inquirere, praesertim cum mea quidem sententia illa non tam difficilis sit expeditu. Comparentur inter se hi loci:

Lucan.[3]) schol. I 529	Isid. de nat. rer. XXVI 13	Isid. Etymol. III 71, 16
Cometes sidus lugubre quae velut comas luminis fundens mortes facit . . . quae aut luem aut bellum aut famem significat.	*Cometes stella est, quae velut comas luminis ex se fundit. Hic cum nascitur, aut regni mutationem fertur ostendere aut bella et pestilentias surgere.*	*Cometes stella dicta est, eo quod comas luminis fundat ex se. Quod genus sideris, quando apparuerit aut pestilentiam aut famem aut bella significat.*

Vides modo librum de natura rerum accuratius cum illo scholio consentire modo etymologias. Nam cum Lucani scholii et libri de natura rerum initia paene congruant, illius finis cum ultimis etymologiarum verbis magis concinit, quod fortuito factum esse tibi vix persuadebis. Veri autem simile esse nego scholiastam partem ex Isidori libro de natura rerum, partem ex etymologiis expressisse

1) Progr. gymnasii berolinens. 'Zum grauen Kloster' 1868.

2) H. Dressel l. c. p. 65.

3) Useneri editionem inspexi.

easque inter se conglutinasse, cum nullo alio loco ei occurrerimus tali Isidorianae ut ita dicam arti studenti. Multo simplicius et rectius est putare Isidorum illum locum excerpsisse cum eius verba, describendi libidine usus, et in etymologiis conficiendis et in libro de natura rerum componendo in suum usum converteret.

Sed iam quis mihi opponat utrumque scriptorem ad tertium fontem spectare posse, quem scholiasta accurate excerpserit, Isidorus autem modo hic modo illic diligentius. Hoc factum esse nego, quod paulo post Isidorus Lucani versum huic scholio respondentem ipsum affert. Persuadere mihi non possum episcopum verba illa e nescio quo fonte petivisse, tum casu miro ad eorum sensum illustrandum eis addidisse hunc versum, qui illis profecto respondet. Multo probabilius et unice me quidem iudice rectum est suspicari Isidorum huius versus interpretationem e Lucani commentario hausisse, cui fortasse versus ipsi iam additi erant.

Videmus igitur tertiam decimam paragraphum Isidori libri de nat. rer. cap. XXVI e scholiasta Lucani fluxisse [1]). Praeter hunc autem locum aliud huius opusculi vestigium investigare potui nullum, ad eundem auctorem spectans. Contra non dubito, quin in illis etymologiarum locis scholiastae verbis similibus saepius Isidorus secutus sit Lucani scholiastam. Quatenus vero illum veterem commentarium expresserit, accurate disceptari vix potest.

Sed iam properemus ad alium Isidori in libro de natura rerum conscribendo auctorem, ad Solinum, ad cuius auctoritatem hic etiam semel tantum episcopus se applicavit.

d) De Solino Isidori auctore.

C. Iulii Solini collectanea se adiisse Isidorus ipse fatetur in libri de nat. rer. cap. XL 1, ubi auctoris nomine allato eius verba *physici aiunt . . . revocent* (c. XXIII 20—21) [2]) sua facit. Sed nullo praeter hunc alio loco, ut iam diximus, in hoc libello Isidorus illius scriptoris auctoritatem secutus est. Contra in etymologiis saepius hausit ex Solini opere, de qua re iam Th. Mommsenus docte disputavit, qui in editionis adnotationibus

1) Reifferscheidius haec verba Suetonio tribuit; cf. l. c. fragm. 142* p. 221.

2) Inspexi Th. Mommseni editionem Berol. 1895.

ad verborum contextum ea indicavit, quae ab Isidoro aut adhibita aut compilata aut exscripta sunt [1]). — Porro non nisi semel, ut paucis hanc quaestionem tangam, episcopus Hispalensis Ciceronem citat (de nat. rer. XII 6), cuius sententiam de terrae axe australi profert. Cum autem omni careamus indicio, quo possit enucleari utrum ipsum Ciceronem excerptor ille ante oculos habuerit necne, et cum ne etymologiis quidem quidquam luminis hanc in quaestionem fundi possit, eam non absolutam remanere necesse est.

Praeter hos, quos attulimus scriptores, multum auctoritate apud Isidorum valuerunt poetae, quibus in legendis episcopus libenter versatus esse videtur.

e) De poetis ab Isidoro adhibitis.

Quicumque singula huius libri capita oculis perlustraverint, invenient frequenter poetarum complurium versus adhibitos esse ad contextum illustrandum et opiniones confirmandas. Imprimis Vergilii et Lucani versus respiciuntur, quorum illius tredecim, huius autem decem libelli locis meminit. Sed utrum ipse Isidorus his poetarum verbis libri sui contextum ornaverit an illa simul cum auctorum testimoniis, quae excerpsit in suum opusculum transtulerit, magna doctorum est dissensio. Reifferscheidius qui illos versus ab Isidoro ipso petitos esse negat, longe plurimos ab Hispalensi episcopo e Suetonio Tranquillo auctore sumptos esse censet. Suetonius enim in pratis — Reifferscheidii verbis utor [2]) — id maxime egit, ut in ipsorum argumentorum continuatione verborum proprietatem adpositis poetarum locis illustraret. Quod institutum quamquam ab Isidoro quasi quodam eruditionis odio plurimis locis oblitteratum sit, tamen aperte etiam nunc cognosci imprimis e fragmento 157*, ubi Tranquilli verba se proferre diserte Isidorus testetur.

Quam falsa est Reifferscheidii de ratione inter poetas et Isidorum opinio! Immo negari non potest, Isidorum saepissime ipsum Vergilii verba contextui inseruisse. Quae opinio optime eo confirmatur, quod interdum illius verba inepte adiecta sunt

1) His locis a Th. Mommseno iam exquisitis H. Dresselius l. c. p. 45, 46 nonnullos novos addidit.

2) Reiffersch. l. c. p. 449.

ad argumenta illustranda et opiniones confirmandas [1]). Rectissime iam G. Beckerus Reifferscheidii sententiam explodit hisce verbis [2]): *Selbst wenn man dem Verfasser* (Reiffersch.) *alles als Suetonisch zugeben wollte, müsste man doch gegen die so zahlreiche und zum Teil unpassende Benutzung des Vergilius, die er von Sueton annimmt, protestieren.* Praeterea iam complures Isidori locos certis auctoribus reddere potuimus, qui omnino omittunt versus ab Isidoro contextui innexos. Velim imprimis inspicias libelli de nat. rer. cap. X ex Hygino sumptum, qui nullum vestigium praebet Varronis et Vergilii versuum, qui apud Isidorum inveniuntur. Eodem modo atque hic res sese habet in cap. XXV, ubi Servii verbis episcopus Vergilii et Lucani versus inserit. Porro Isidorus ad Salomonis verba (Isid. de nat. rer. XXVII 2) illustranda nonnullos affert versus Vergilianos, quos a nullo alio adiectos esse perfacile tibi persuadebis, nisi ab ipso Isidoro. Ergo cum his omnibus, quos attuli, locis Isidorum ipsum inspexisse Vergilium sciamus, cur ceteris idem factum esse negemus? [3])

Quo autem iure Reifferscheidius Lucani, poetae illius omnibus tunc odiosi, versus quamquam uncis inclusos in Suetonii contextu posuerit omnino intellegi non potest. Venio ad rationem explicandam, quae inter Isidorum et Lucretium poetam intercedat.

Ipse Reifferscheidius concedit [4]) Hispalensem episcopum secutum esse Lucretium, quem imitatus suum librum *de natura rerum* inscripserit. Quae cum ita sint, vereor ne quis contendat non esse verisimile Isidorum illud Lucretii opus, quod satis accurate legerat, non excerpsisse, nec in illius sententiis verbisque proferendis fugisse ad Suetonium Tranquillum optimo fonte neglecto et despecto. Sed demonstrare possumus excerptorem Lucretium ipsum adiisse. Nam locus, ubi Lucretii versus citatur (XXXVI 1), totus, ut iam supra ostendimus, sumptus est ex Augustino, qui illius poetae verborum minime mentionem facit.

---

1) Cf. imprimis versus Vergilii, qui exstant apud Isid. de nat. rer. IX 3 et XXX 2.

2) G. Becker: Annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 642 adnot.

3) Uno tantum loco demonstrari potest (de nat. rer. XXXVIII 3) Isidorum Vergilii versum non ex ipso poeta, sed potius e scholiasta Germanici sumpsisse.

4) Reiffersch. l. c. p. 440.

Inde apparet Isidorum ipsum ad Lucretii auctoritatem se applicavisse. Praeterea hunc auctorem secutus est in capitis XXX paragrapho quarta, ubi poetae nomine ipso citato eius sententiam de fulminum natura (cf. Lucret. de rer. nat. II 381 sq. et VI 219 sq.) profert, cum vertit versus in orationem solutam. Sed non solum hanc, verum etiam eiusdem capitis secundam paragraphum ad eundem auctorem spectare iam Beckerus [1]) rectissime ostendit; multum autem aberat ut hanc quaestionem ad finem perduceret. Nam praeter hos, quos attulit locos, totam secundam paragraphum Isidoriani capitis XXXIX ad eandem originem spectare mihi persuasi [2]). Perspicuitatis causa utriusque scriptoris verba ipse afferam. Legimus:

Isid. de nat. rer. XXXIX 2

Item alii aiunt pestifera semina rerum multa ferri in aerem adque suspendi et in extremas caeli partes aut a ventis aut a nubibus transportari.

Deinde quaqua feruntur aut cadunt per loca et germina cuncta ad animalium necem corrumpunt, aut suspensa manent in aere, et cum spirantes trahimus auras, illa quoque in corpus pariter absorbemus . . . .

Sicut enim caeli novitate vel aquarum temptari advenientium corpora consueverunt adeo ut morbum concipiant, ita etiam aer corruptus ex aliis caeli partibus veniens subita clade corpus corrumpit adque repente vitam extinguit.

Lucret. de rer. nat. VI 1093 sq.

. . Primum multarum semina rerum
Esse supra docui quae sint vitalia nobis.
Et contra quae sint morbo mortique necessest
Multa volare . . .
Atque ea vis omnis morborum pestilitasque
Aut extrinsecus ut nubes nebulaeque superne
Per caelum veniunt.

1119 sq.

Proinde ubi se caelum quod nobis forte alienum
Commovet atque aer inimicus serpere coepit,
Ut nebula ac nubes paulatim repit et omne
Qua graditur conturbat et immutare coactat,
Fit quoque ut, in nostrum cum venit denique caelum,

---

1) Becker: Isid. de nat. rer. lib. edit. proleg. p. XXII.

2) Etsi Beckerus in Isid. editionis adnotationibus ad horum verborum contextum Lucretii versus indicavit, tamen omnino nil certi de hac similitudine dicit.

sid. de nat. rer.	Lucret. de rer. nat.
	Corrumpat reddatque sui simile atque alienum.
	Haec igitur subito clades nova pestilitasque
	Aut in aquas cadit aut fruges persidit in ipsas
	Aut alios hominum pastus pecudumque cibatus,
	Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso,
	Et cum spirantes mixtas hinc ducimus auras,
	Illa quoque in corpus pariter sorbere necessest.
	1103 sq. (hos versus Beckerus omisit).
	Nonne vides etiam caeli novitate et aquarum
	Temptari procul a patria qui cumque domoque.
	Adveniunt ideo quia longe discrepitant res?

Propter tantum et sensus et verborum concentum haec utriusque scriptoris testimonia mea quidem sententia divelli non possunt et cum iam viderimus Isidorum ab ipso Lucretio pendere, etiam haec episcopi verba ex eodem fonte fluxisse consentaneum est.

Unde autem versus Ennii (de nat. rer. XII 3), Varronis (l. c. X 2), Horatii (l. c. XXX 5), Prudentii (l. c. XXVI 13), Papinii (l. c. XXX 1) Isidorus doctrinae et ostentationis causa sumpserit, unde locos Naevii, Pacuvii, Attae, Augusti qui in libelli de nat. rer. cap. XLIV inveniuntur, quod docti[1] nullo iure totum Suetonio tribuunt, mutuatus sit — nam ex fontibus principalibus talia hausta esse nemo putabit — nescimus nec puto umquam quemquam hanc quaestionem esse soluturum. Hoc autem pro certo dici potest, Reifferscheidium summo arbitrio egisse, qui fere omnes illos locos e Suetonio ab Isidoro expressos esse contendit. — Iam eo nostra in disquisitione progressi sumus, ut ad Suetonium Isidori auctorem ipsum transire possimus.

1) Imprimis dico Gustavum Beckerum in Isid. libr. de nat. rer. edit. proleg. p. XVI et Reiffersch. in Suet. edit. p. 449.

§ 7. De Suetonio Isidori auctore.

Tribus locis[1]) Tranquilli ipsius nomen ab Isidoro allatum esse iam supra diximus, quos omnes ex uno eodemque opere, nimirum e Suetonii pratis, fluxisse docti sibi persuaserunt, quamquam uno loco, dico cap. XXXVII 5, auctoris non nisi nomen praebetur. Ibi est: *Quosdam autem Tranquillus proprios locorum flatus certis appellat vocabulis quo ex numero sunt: in Syria syrus, carbasus in Cilicia, in Propontide tracidas, in Attica sciron, in Gallia circius, in Spania sucronensis* e. q. sq. Iam e ratione qua Tranquillus nominatur Beckerus conclusit[2]) etiam in antecedentibus Isidorum eundem auctorem respexisse. Nam si ita non esset, certe Isidorus exhibuisset *Tranquillus autem quosdam* . . . Egregie hanc observationem firmat carmine a Theodoro Oehlero reperto et a Ritschelio primum publicato (Mus. Rhen. I p. 130 sq.) cui est inscriptio: 'Versus de XII ventis Tranquilli Physici'. Hunc Tranquillum Physicum neminem alium esse, nisi Suetonium Tranquillum omnes consentiunt, cuius verba incertus quidam poeta versibus inclusit. Ac si ventorum ordinem apud utrumque scriptorem comparaveris, summum consensum invenies, ut de totius huius capitis auctoritate Suetoniana dubitari non possit.

Omnes autem hos locos Suetonii nomine instructos non solum e pratis, sed etiam e certo pratorum libro sumptos esse Reifferscheidius[3]) contendit, nixus Beckeri coniectura, qui fretus Bambergensis codicis (saec. IX) lectione nonum pratorum librum restituit[4]). Quo in codice haec Isidoriani cap. XXXVIII verba inveniuntur: *Signa autem tempestatum navigantibus Tranquillus in Pratis non libertis sic dicit.* Verba *non libertis* depravata esse, quod omni sensu carent, unusquisque facile intelleget. Itaque

1) Cf. Isid. de nat. rer. c. 37; c. 38; c. 54.
2) G. Becker: Isid. edit. proleg. p. XVIII.
3) Reiffersch. l. c. p. 432.
4) G. Becker l. c. p. XVII.

iam Beckerus ea sanare conatus[1]), olim scriptum fuisse censet: *Tranquillus in Pratis non. lib.* Significare autem ait decurtatas illas formas *non. lib.* nil aliud nisi *nono libro.* Ex hoc nono pratorum libro illos tres Suetonii locos ab Hispalensi episcopo expressos esse Reifferscheidius opinabatur. Sed praeterea, ut iam vidimus, graviora hic excogitavit. Etenim cum hoc in pratorum nono libro actum fuisset Isidoro teste de ventorum nominibus, de signis tempestatum, de nominibus maris, omnino illic quaestiones ad rerum naturam spectantes tractatas fuisse suspicatus est. Huius autem libri, cui fortasse inscriptio 'de mundo' fuisset, auctoritatem studiosissime episcopum adiisse idem conclusit, ut omnia ea — Reifferscheidii[2]) ipsius verba sequor —, quae a libelli de natura rerum capite nono usque ad finem exponerentur, si ad certos auctores referri non possent, illi Tranquilli scripto essent restituenda. Quantopere Reifferscheidius hac in re erraverit, me hac in dissertatione iam ostendisse arbitror. Plus quam quadraginta locis Isidori verba, quae ille Suetonio tribuit, aliis auctoribus restituere potuimus, qui ipsi Tranquillum non respexerunt. Quae cum ita sint, restat, ut in eos paucos locos, quorum fontes investigari nullo modo possunt, inquiramus, ut eluceat, utrum de horum origine Suetoniana Reifferscheidii sententia probari possit necne. Quod fit, si illum pratorum nonum librum a Beckero constitutum et a Reifferscheidio valde amplificatum in examen vocamus. Iam per se ipsum, ut haec praemittam, parum est probabile excerptorem illum praeclarissimum omnibus in eis locis, quorum fontes casu perierunt, pendere ab uno unius scriptoris libro.

Sed potestne pro certo dici talem pratorum certum librum omnino exstitisse, quo continebantur observationes physicae? Nego. Ipse Beckerus miro quodam modo nonnullis annis post Isidori editionem in lucem editam suam coniecturam, qua fretus nonum pratorum librum restituerat, plane reiecit et refutavit aptissimis argumentis allatis[3]). Ac re vera, quomodo, quaeso, e forma *non. lib.* fieri potuit lectio *non libertis*? Sane multo probabilior est Rothii coniectura[4]), qui nihil aliud illa verba esse censuit nisi emblema

1) G. Becker l. c. p. XVII.
2) Reiffersch. l. c. p. 440.
3) G. Becker: Annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 633.
4) C. L. Roth: C. Suet. Tranquilli edit. proleg. p. XCIII adnot. 91.

nomen libri satis corruptum[1]). Huic viro, quem postea Beckerus secutus est, plane ipse assentior.

Sed haec mittamus. Multo maioris momenti est ad nostram disquisitionem consummandam disceptare, num iure agamus, si cum Reifferscheidio pusillis pratorum fragmentis mero Suetonii nomine instructis librum 'de mundo' inscriptum restituere conamur, quo continebantur omnes illae quaestiones physicae, quas Isidorus praebet. Omnino recte neque incaute iam Gustavus Beckerus[2]) de hac quaestione egit, qui ullo fragmento iure Tranquillo adiudicato probari posse negat illum talem librum scripsisse. Atque re vera, si illa tria Suetonii fragmenta ab Isidoro nobis servata, quae quasi fundamentum Reifferscheidii opinionis sunt, satis accurate examinamus et perpendimus, nullam demonstrandi vim huius argumentis inesse invenimus. Nam multo aliter, atque ille vult, rem sese habere eodem iure dici potest. Legimus enim in prima paragrapho capitis XXXVIII Isidori libelli haec verba: *signa autem tempestatum navigantibus Tranquillus in Pratis sic dicit.* Sequuntur deinde nonnulla signa, quibus nautae mutationem tempestatis cognoscunt. Quid obstat, quominus arbitremur hanc memoriam sumptam esse e libro quodam, quo agebatur de rebus ad navigationem spectantibus? Cui rei non aliena sunt ea, de quibus in reliquis Tranquilli fragmentis disseritur, nimirum de ventis[3]) (in cap. XXXVII) et de nominibus maris (in cap. XLIV 1).

Sed ne quis putet, me audere novum Suetonii librum enucleare, nihil volui nisi demonstrare, subdubitari posse de Reifferscheidii opinione. Ceterum quis tandem tribus his tam pusillis fragmentis constituat indolem et rationem totius libri? Hoc item incautum et falsum sit, ac si, ut exemplum afferam, e Clementis vestigiis ab Isidoro nobis servatis, quibus agitur de sphaera, de solis cursu, de arcu aliisque talibus rebus, si cetera illius scriptoris amissa

1) Coniecerim librarium quendam verba *nom. libri* in contextu posuisse, quae perfacile depravari potuerunt in lectionem *non. liberi* vel *non liberti*. *S* litteram in fine vocabuli *liberti* e sequenti verbo *Sic* perfacile illi formae adiungi potuisse unusquisque facile concedet.
2) G. Becker: Annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 642.
3) Simili modo etiam Vegetius (de re milit. IV 38) verba facit de ventis, quae ad Varronis libros navales spectare ipse Reifferscheidius ostendit (l. c. adnot. ad fragm. 151* p. 228).

essent, concludere velimus illum ecclesiasticum virum librum 'de mundo' scripsisse. Nec ad Reifferscheidii sententiam confirmandam locum scholiorum Bernensium adhibere possumus, cui Beckerus aliquam vim tribuere videtur [1]. Illis enim in scholiis (ad Verg. Georg. IV 51) haec inveniuntur verba: *Physici dicunt, quo tempore hiemps hic, aestatem sub terris et vice versa: ut Lucretius ostendit, putealem aquam aestate frigidissimam, hieme vero tepidiorem, hoc sentit et Iunilius dicit.* Sub forma *sentit*, quae hic omni sensu caret Reifferscheidius Suetonii nomen latere opinatus Th. Mommseni sententiam reiecit, qui illam lectionem e Gaudentii nomine exortam esse censuit [2]. Sed Mommsenum solum recte vidisse nuperrime C. Barwickius meus ostendit in dissertatione quam inscripsit 'de Iunio Filargirio Vergilii interprete' [3].

Iam actum esset de tota hac quaestione, nisi nostrae disputationi obstare videretur fragmentum peracto saeculo e medii aevi tenebris in lucem protractum. Exstat enim, ut iam supra ostendimus apud Cangium in glossario mediae et infimae latinitatis s. v. *baulare* Ugutionis hoc testimonium: *Sindonius in libro 'de naturis rerum' ponit propria verba animalium secundum vocem, quae in parte ponemus: leonum est rugire* [4]) e. q. sq. Sequuntur multorum animalium voces.

Quibus verbis egregie firmari putat Reifferscheidius Suetonium — nam sub *Sindonii* lectione Suetonii nomen intellegi recte contendunt docti — scripsisse librum paene eodem titulo instructum atque illud Isidori opusculum, quo de eisdem physicis observationibus tractatum fuisse atque hic veri sit simile. Ac profecto primo obtutu omnibus ita videatur. Neque tamen deerant, qui illud fragmentum in examen vocantes de Ugutionis fide dubitarent. Atque ipse facere non possum, quin his doctis assentiar. Nam si Ugutionis verba perlustramus nihil proferri videmus earum quaestionum physicarum, quas in libro 'de naturis rerum' exspectamus. Qua re iam ipse Reifferscheidius offensus est. Sed qua fuit arte disserendi et coniciendi, ita ex hac controversia se

1) G. Becker: Annal. Fleckeis. vol. LXXXVII p. 642 adnot. 9.
2) Cf. Th. Mommsen in Mus. Rhen. vol. XVI p. 446.
3) Cf. Commentat. Philol. Ienens. vol. VIII 2 p. 63.
4) Exhibetur hoc fragmentum etiam apud Reiffersch. l. c. p. 247 sq.

expedivit, ut contenderet inscriptionem 'de natura rerum' communem titulum noni et decimi pratorum libri fuisse, quorum ille 'de mundo' hic autem 'de naturis animantium' [1]) specialiter inscriptus fuisset.

Hanc rationem disputandi rectissime iam G. Beckerus increpat propter tantas argutias difficultates tollendi. Mox ipse ita pergit [2]): *Einfacher und durchaus nicht gewaltsam ist es hier einen Irrtum des Ugutio anzunehmen, der statt 'de naturis animantium' im Anklang an ihm bekannte Bücher 'de naturis rerum' geschrieben hat.* Cui Beckeri sententiae plane assentior; nam cum sciamus Tranquillum 'de naturis animantium' scripsisse et cum videamus hoc fragmentum omnium quae habemus optime in illum librum quadrare, potius huic scripto Ugutionis verba adscribam, cum veri parum sit simile, alio in opere de eisdem rebus Suetonium iterum tractasse. Omnibus his ratiocinationibus eo adducimur, ut, cum a Suetonio librum 'de mundo' vel 'de naturis rerum' abiudicemus, etiam Isidorum ex hoc libro excerpentem facere non possimus.

Hac in opinione eo adiuvamur, quod interdum Hispalensis episcopus deterioribus fontibus usus esse videtur. Ut in capite XXIII, ubi de positione septem stellarum errantium disserit, bis Luciferi sidus a Vesperi stella distinguit, quamquam satis notum est minime veteres illas stellas diversas habuisse. Arto autem vinclo hoc caput conexum est cum antecedenti, quo agitur de cursu stellarum, primum quod ipse Isidorus hanc cognationem indicat verbis (c. XXIII 3) *ut praedictum est,* deinde quod illic eadem fere exponuntur de sideribus quando retrogradantur vel quando anomala vel stationaria fiunt atque hic. Uterque locus fontis communionem sapit.

Omnibus his argumentis, quae supra attuli, commotus optimo iure mihi videor dicere tota ex ea Isidori libelli de natura rerum parte, qua continentur physicae observationes, id est a nono capite usque ad duodequinquagesimum, tribus tantum locis (c. XXXVII, c. XXXVIII 1; c. XLIV 1) Suetoniana vestigia evinci posse.

1) Suetonii librum 'de naturis animantium' a Giraldo Cambrensi in itinerar. Cambr. I 7 satis confirmatum pratorum decimum fuisse recte mea quidem sententia Reiffersch. cum Rothio persuasum habet. Cf. de hac re Roth. l. c. p. XCIV et Reiffersch. l. c. p. 439.
2) G. Becker in annal. Fleckeis. t. LXXXVII p. 643.

Restat ut exquiramus, quatenus episcopus in primis sui libelli capitibus — dico cap. I—VIII — Suetonium respexerit.

Hac in parte, qua de temporibus disseritur, Suetonianas sententias inesse ex Isidori dierum fastorum definitione elucet, quam iisdem verbis Priscianus[1]) e Suetonii pratorum octavo libro refert. Sed quomodo docti hac memoria sunt abusi! Conclusit Beckerus[2]) non solum hanc de diebus fastis definitionem, sed etiam ea, quae Isidorus doctrinae plena dixisset de diebus feriatis, profestis, festis, atris, sideralibus, iustis, praeliaribus eiusdem auctoris esse. Atque Reifferscheidius opinatus Isidorum his in locis describendis Suetonii librum 'de anno Romanorum' Suidae testimonio memoriae proditum ante oculos habuisse, qui pratorum VIII fuisset, non solum haec sed etiam cetera episcopi excerpta, quae veteris doctrinae plena certis auctoribus restituere non possumus, eidem operi restituit.

Num de hac quaestione recte Reifferscheidius iudicaverit, exquirere iam nostrum esse debet. Libenter concedo, omnes illas Isidori dierum definitiones, si ex uno Suetonii libro sumptae essent, ex nullo alio scripto fluxisse posse nisi e libro 'de anno Romanorum'. Nam Suetonium praeterea aliud opus scripsisse, quo Schanzii[3]) quidem sententia in universum de temporibus egerit, minime probari posse, iam Paulus Weberus[4]) rectissime, opinor, ostendit. Sed Schanzius mihi persuasit[5]) Suetonii illum 'annum Romanorum' non in pratis exstitisse, sed potius in 'Roma' quae nominatur. At cum Priscianus dilucide illam dierum fastorum definitionem e Suetonii pratis sumptam esse certiores nos faciat, consentaneum est episcopum eam non ex anno Romanorum excerpsisse. Praeterea autem aliud nostra e disquisitione sequitur, nimirum ceteras dierum definitiones non sumptas esse e pratorum octavo loco, quo de tempore actum esse nulla re probari potest. Sed iam dicat quispiam Isidorum memoriam de

1) Cf. Priscian. VIII 21 (II p. 387 K.).

2) G. Becker: Isid. de nat. rer. edit. proleg. p. XIII.

3) M. Schanz: Herm. vol. XXX p. 415.

4) P. Weber: 'Quaestionum Suetonianarum capita duo' dissert Hal. 1904 p. 25 sq.

5) M. Schanz: Herm. vol. XXX p. 415. Schanzii opinioni etiam assensi sunt Macé (Essai sur Suétone Paris 1900 p. 279, 302), Traube (Geschichte der tiron. Noten p. 18), P. Weber l. c. p. 33.

diebus fastis e pratis, ceteras autem dierum definitiones e libro 'de anno Romanorum' exscripsisse. Concedo hoc per se fieri potuisse, sed nullam habemus certam ansam ad hanc rem comprobandam. Uno tantum scholiastae Lucani testimonio (V 7) haec quaestio disceptari potuit, sed huius verba *significat congluviales dies, in quibus quod ante intermissum fuerat gerebatur,* Suetonii nomine instructa, quae quin ex Tranquilli 'anno Romanorum' fluxerint, non habemus cur dubitemus, hoc Isidori loco omnino non exstant. Neque ex alio loco ceterorum Isidorianorum capitum quibus de tempore agitur necessario concludi potest Hispalensem episcopum Tranquilli 'annum Romanum' expressisse. Contra nonnulla inveniuntur vestigia, e quibus elucet Isidorum aut deteriores[1]) aut alios[2]) fontes usurpavisse, quos indicare non possumus.

Quae cum ita sint, unus tantum huius libelli partis locus (de nat. rer. I 4 *fasti dies . . . non dicitur*) iure Tranquillo tribuendus est, qui non fluxit ex libro 'de anno Romanorum' inscripto.

1) In tertia enim tertii capitis paragrapho iterum Isidorus Vesperi stellam a Luciferi sidere distinguit, deinde in sexto capite annum naturalem solis eclipsim esse alucinatur, ibidem annum magnum quem ita definit *quando omnia sidera certis temporibus numerisque completis ad suum locum vel ordinem revertuntur* cum anno magno Metonis Atheniensis confundit, praeterea olympiadem quartum annum esse interpretatur. Omnes hos errores Hispalensem episcopum iam in fonte quem excerpsit invenisse et in suum contextum transtulisse veri simile esse existimo.

2) Non puto Suetonium in libro 'de anno Romanorum' tam accurate de Graecorum more olympiadis finem celebrandi egisse, de quo Isidorus (VI 5) certiores nos facit. Commemorare olympiadas Tranquillus illo in libro potuit et debuit, sed narrare sub earum fine missos esse circum civitates — Isidori verbis utor — udituros, ut non solum undique sed etiam ab omni genere omnique aetate et sexu conveniretur, supervacaneum esse arbitror. Iam quis mihi opponat Suetonium illos Graecorum usus comparare voluisse cum Romanorum, qui lustro peracto censum habuerunt et sacrificio facto urbem Romam lustraverunt. Sed etiamsi concedere velimus episcopum Tranquilli verba de lustro praebere, re vera non de his Romanorum moribus actum, sed potius explicatum fuisse, unde nomen lustri sit ortum, satis clare ex Isidori ipsis verbis (VI 6) elucet: *Lustrum est quinquennii tempus apud Romanos dictum autem quia . . . post peractum censum sacrificio facto urbs Roma lustrabatur.*

§ 8. Conclusio.

Peractis omnibus, quae explanare nobis proposuimus, restat ut paucis disseramus utrum Isidorus quattuor illos sui libelli locos, quos Suetonii esse iudicavimus, ex ipso auctore hauserit an ex aliis scriptoribus. Velim memineris me uno loco (de nat. rer. XXXVIII 1) Suetonii memoriam e scholiasta Germanici ab Isidoro sumptam esse contendisse. De ceteris autem nihil certi dici potest omnibus argumentis deficientibus, quibus haec quaestio disceptari possit. Itaque hanc rem quomodo absolvam me non habere fateor. Ceteris autem, quae hac dissertatione evicimus, si mihi contigerit aliquid afferre ad Isidori et Suetonii quaestiones melius et cautius diiudicandas, tempus frustra contrivisse mihi non videbor.

VITA.

Arno Schenk natus sum XI. die mensis Aprilis anni MDCCCLXXXIII in vico Obergrunstedt iuxta Vimariam sito, patre Ottone matre Anna e gente Tantz, quos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in publico patrii vici ludo imbutus sum; tredecim annos natus gymnasium adii Vimariense cuius discipulus fui per octo annos. Maturitatis testimonio instructus vere anni MCMIV Ienam me contuli studiis philologicis historicisque operam navaturus. Usque ad hoc tempus huius almae matris sum civis academicus. Docuerunt me et scholis et exercitationibus hi viri docti: Cartellieri, Delbrueck, Eucken, Gelzer †, Goetz, Hirzel, Iudeich, Keutgen, Liebenam, Liebmann, Michels, St. Stoy. Quibus viris humanissimis omnibus gratias ago quam candidissimas, praecipue autem Georgio Goetz, summo et benevolentissimo studiorum meorum fautori.